

obiectum est ultimus finis, non est sufficiens ex terminis ad illius productionem.

Nec id, quod de modo charitatis adducitur, favet prædictæ responsioni: Quia talis modus tantum dimanat à gratia medio habitu charitatis, Deo se habente per modum causæ principalis illius, sicut & gratiæ, actu charitatis se habente per modum dispositionis.

122. Nec ex secundo capite potest subsistere. Nam peccatum actuale Adæ ratione suæ essentia (quidquid sit de intentione) non habet maiorem vim ad producendum aliquid positivum habituale in posteris, quam in seipso; sed præcisè ratione essentia non erat potens ad producendum aliquid positivum habituale in Adamo, neque ut capitale concurrat nisi ratione essentia, vt probatum est: ergo vt capitale non habet vim ad producendum in nobis aliquid positivum habituale.

Urgetur hoc: Nam voluntas Adami non habebat, in quantum voluntas capitis, aliquid positivum habituale, quod non haberet in quantum voluntas personæ particularis: ergo nec ipsum peccatum actuale illius vt capitale habebat positivum actuale, ratione cuius poterat producere positivum habituale in posteris. Consequentia est legitima. Et antecedens probatur: tum quia Adamus in ratione capitis tantum constituebatur per designationem extrinsecam, & translationem purè moralem nostram voluntatum in suam: ergo in ratione capitis voluntas illius non habebat aliquid positivum positivum habituale, quod non habebat in quantum voluntas personæ particularis. Tum etiam: nam si tale positivum daretur, esset à Deo, vt à causâ speciali: ergo etiam peccatum actuale, vt capitale, procedens ab illo positivo esset ab ipso Deo, iuxta illud axioma, *Quod est causa cause, est causa causati &c.* sed hoc non potest sustineri: ergo. Tum denique: nam permissio, quod daretur tale positivum positivum habituale constituens Adamum in ratione capitis, non posset Adamus ratione illius producere aliquid positivum habituale in posteris, quin prius illud produceret in se; sed in se non produceret, sicut voluntas nostra per quemcumque actum non producit habitum: ergo. Adde: Nam si per aliquid positivum constitueretur in ratione capitis, vel esset naturale, vel supernaturale: mixtum enim ex utroque sine distinctione reali non posset esse. Si dicatur primum: ergo actus naturalis illius in quantum capitalis non habebat aliquid positivum superadditum essentia, & intentioni illius. Si dicatur secundum: ergo ab eo non produceretur peccatum actuale, aliis procederet etiam à Deo.

Ratio valde diversa concurret in privatione iustitia originalis, in qua iuxta nostram sen-

tentiam sita est essentia peccati originalis, vt infra videbimus, quam peccatum actuale Adæ potest inducere in posteris sine additione alicuius positivi, sicut in seipso illam induxit. Quo pacto id fiat, infra explicabitur.

123. Probatur secundo ratione, quæ est augmentum præcedentis. Nam peccatum actuale Adæ non producit in posteris aliquid positivum immediate persè; aliis neque medio femine vt instrumento: ergo nullatenus datur illud, atque ideo peccatum originale non consistit in positivo. Maior videtur certa: quia in se non exiit physicè, dum parvuli nascuntur cum originali. Minor verò probatur: nam vt produceret medio femine vt instrumento, opus erat, vt ab eo diffunderetur in femine aliqua virtus positiva elevans, & propria instrumentis; sed hæc non diffunditur, sicut nec à nostris peccatis personalibus diffunditur: ergo neque producit illud medio femine vt instrumento.

124. Respondebis primò cum Martínez in præf. quæst. 81. art. 1. dub. 5. quòd virtus sufficiens ad producendam naturam humanam cum naturalibus accidentibus connexis cum illa, sufficit etiam ad producendum peccatum originale consistens in positivo physico: quia habet nexum cum illa vt descendente ab Adamo peccatore.

Respondebis secundo, quòd peccatum actuale Adæ, quatenus capitale, potuit communicare femini aliquid positivum, ratione cuius fit potens ad producendum instrumentaliter id positivum, in quo consistit peccatum originale: vt non leviter insinuat D. Thom. quæst. 4. de Malo, art. 1. ad 9. vbi ait: *Ex peccato enim primi parentis desinita est caro eius illa virtute, vt ex ea possit decidi semen, per quod originalis iustitia propagatur. Et sic in femine defectus huius virtutis . . . est quedam intentio eius, sicut dicimus intentionem caloris esse in aère, & intentionem animæ esse in femine.*

Sed contra primam solutionem fiat primo: Nam nexus inter duos effectus non sufficit, vt causa producat unum producat alterum, vt liquet in entitate peccati, & malitia eius, cuius Deus non est causa, licet sit causa entitatis, sed vterius requiritur, quòd virtus causæ præcontineat utrumque effectum; atque semen in se non continet illud positivum, in quo consisteret peccatum, sicut nec semen in pura natura illud contineret, non obstante quòd esset quoad omnia eiusdem rationis cum nostro: ergo non illud producit defecto. ¶ *Secundò*: Nam aliis Deus esset causa peccati: nam est causa totius virtutis naturalis feminis; & quòd est causa causæ, est causa causati ab ea. Exemplum nihil prodest: quia accidentia naturalia dimanant à natura, in eaque continentur. Unde est dispar ratio.

Contra secundam solutionem fiant omnia, quæ adduximus num. 122. Pro testimonio D. Thom. videatur omnino Caietanus in præf. quæst. 81. art. 1. vbi dicit, Ang. Magistr. nec per somnium fingere aliquam qualitatem in femine, sed tantum concessisse in illo loco de Malo, quòd id, quod in femine habet rationem virtutis instrumentalæ, spectat virtualiter ad genus moris. In quo hæc virtus consistat, infra declarabimus.

125. Probatur tertio ratione. Si peccatum actuale Adæ produceret aliquem habitum positivum, in quo consisteret peccatum originale, inclinaret ad actus eiusdem speciei cum illo: nam habitus, generaliter loquendo, inclinat ad actus, à quibus producitur, quia est facilitas ad illos; sed hoc non admittunt adversarij, existimantes peccatum originale facilitare ad bonum sensibile in communi vt rationi contrarium, & ratione illius concupiscentiam ad illud inclinare cum ea universalitate: & experientia constat, non omnes nasci cum equali, & sola inclinatione ad actus superbæ, gulæ, & inobedienciæ, sed multos cum maiori ad iram, luxuriam, aut avaritiam: ergo non datur talis habitus positivus in potentis, in quo sita sit essentia peccati originalis.

126. Probatur quarto ratione. Peccatum actuale Adæ nequit efficere aliquid positivum in substantia animæ, aut in voluntate parvulorum: ergo non est aliquid positivum positivum, in quo peccatum originale possit consistere. Consequentia est bona: nam peccatum originale debet recipi in anima, aut in voluntate, sicut peccatum habituale Adæ. Et antecedens probatur: quia nulla creatura potest per suam virtutem operari intra terminos alterius rei spiritualis, vt solet dici in tractatu de Angelis, & nunc supponimus; sed neque Deus potest præstare specialem virtutem ad illud producendum; aliis Deus esset causa peccati: ergo peccatum actuale Adæ nequit efficere aliquid positivum in anima, aut in voluntate parvulorum. Quæ ratio probat de peccato Adæ, prout erat personæ particularis, & prout erat caput morale totius generis humani, vt constat ex dictis num. 122.

Et confirmatur: Adamus, quia præcisè erat caput morale, non posset physicè in nobis producere iustitiam originale, sed ad hoc requirebatur specialis virtus elevans illum, vt illam produceret vt causa instrumentalis Dei: ergo neque potest producere in animabus, aut voluntatibus nostris aliquid positivum, in quo consisteret peccatum originale, nisi addatur ei à Deo specialis virtus ad eius productionem; sed hoc est impossibile: ergo. Neque est similis ratio de privatione iustitia originalis, in qua iuxta nostram sententiam originale peccatum constituendum est: quia satis est, quòd peccatum

Adæ vt capitale privaverit propriam naturam iustitia originali, & quòd talis natura sic iam privata, ad nos per illum propagatur: ad quod, vt constat, non est necessaria additio alicuius positivi: nec est proprie operari intra terminos rei spiritualis, sed potius non operari: aut est auferri à femine vigorem illum, medio quo talis iustitia propaganda foret.

127. Probatur quinto ratione speciali reijciente ab anima positivum positivum. Nam omne positivum, quod posset in anima recipi, & in quo essentia peccati originalis consisteret, disponderet male illam in ordine ad esse; sed tale positivum repugnat: ergo repugnat aliquid positivum positivum receptum immediate in anima, per quod peccatum originale constituitur. Maior est certa: nam nihil positivum potest dispondere immediate animam bene, vel male in ordine ad operationem, quia ipsa non est immediate operativa, vt supponimus. Minor verò probatur: nam omnis habitus immediate receptus in anima est, vt det aliquod esse distinctum ab esse naturali illius, vt liquet in gratia habituali: nam cum anima sit immortalis, & non possit à suo esse separari, non potest quoad suum esse naturale immutari à forma aliqua superaddita; sed nullus habitus potest animam male dispondere in ordine ad esse superadditum: ergo impossibilis est habitus positivus disponens immediate animam male in ordine ad esse. Minor probatur: tum quia omnis forma ordinata persè primò ad dandum esse est de genere boni, quia existentia est actus perfectissimus. Tum etiam: nam forma dans esse animæ habet simul rationem naturæ, vt constat in gratia habituali; sed habitus de genere mali nequit habere rationem naturæ, cum potius sit contra naturam: ergo nequit dispondere in ordine ad esse superadditum. Tum denique: quia forma dans esse animæ radicat omnes habitus persè ordinatos ad operationem eiusdem ordinis: quæ ratione anima rationalis radicat omnes potentias hominis, & gratia omnes habitus supernaturales: ergo tale positivum de genere mali moralis radicaret omnes habitus vitiosos, ac proinde in quolibet parvulo reperirentur; sed hoc non potest sustineri: ergo.

Si verò dicas, prædictum habitum solum conducere ad hoc, vt animam convertat radicaliter ad bonum commutabile, vt ad ultimum finem, sicut gratia convertit hoc modo illam ad Deum; vel vt eodem modo inclinet eam ad peccandum; vel vt reddat illam infirmam, itaut propterea peccatum originale dicatur languor naturæ. ¶ Si hæc, inquam, dicas, contra est: quia in gratia convertere radicaliter animam ad Deum ultimum finem, illamque inclinare radicaliter ad bene operandum, sunt effectus formales naturæ, vt naturæ: ergo etiam effectus oppositi essent in illa qualitate effectus for-

formales nature vt *natura*. ¶ Adde: Nam in qualibet re prius est esse formaliter talem, quam esse talem radicaliter, vt constat in anima, & in gratia: sicut ergo anima, & gratia prius dant esse, & postea radicant, ita prædictus habitus de genere mali prius daret animæ esse de genere mali, quam esse ipsam animam radicaliter conuersam ad bonum commutabile, & inclinam ad peccandum; sed prædictum esse repugnat: ergo. ¶ Alter effectus, qui dicitur *langor natura*, infra explicabitur absque aliquo positivo superaddito.

128 Probatur sexto ratione speciali excludente à voluntate habitum physicum. Nam in voluntate nequit recipi aliquis habitus physicus conuertens illam ad bonum commutabile vt ad vltimum finem: ergo talis habitus, in quo consistat peccatum originale, in voluntate non datur. Antecedens probatur: nam habitus conuertens voluntatem ad vltimum finem vt talem debet esse ipsa superior, quia subijcit illam vltimo fini; sed repugnat habitus de genere mali superiori voluntate: ergo in voluntate nequit esse habitus physicus conuertens illam ad bonum commutabile vt ad vltimum finem. Minor probatur: nam habitus de genere mali est determinatio potentie, seu voluntatis ad obiectum inadæquatam potentia; bonum autem commutabile vt vltimus finis est specificativum adæquatam illius subijcens sibi voluntatem secundum omnes suos habitus, & inclinationes: ergo repugnat habitus de genere mali voluntate superiori. Pro qua ratione vide, que diximus tract. 8. disp. 1. à num. 92. Videnda etiam sunt, que in eadem disp. dub. 6. diximus pro declaratione vltimi finis peccatoris: ibi enim constat quoniam sit, & quo pacto voluntas per suam essentiam independenter ab aliquo habitu tendat ad bonum commutabile, seu ad bonum proprium peccatoris vt ad vltimum finem.

129 Ultimo probatur ratione. Nam sine aliquo habitu, aut realitate physica positiva recepta five in anima, five in voluntate, illa manet radicaliter, & hæc proximè conuersa ad bonum commutabile, & averta à Deo, manentque inclinate ad malum, & cum difficultate ad bonum per hoc præcisè, quòd natura humana amiserit iustitiam originalem; sed pro his effectibus ponitur ab aduersarijs illud positivum physicum: ergo non datur. Maior probatur tum ex Div. Thom. quest. 4. de Malo art. 2. ad 7. Tum etiam: nam per hoc præcisè, quòd anima, & voluntas careant iustitia originali, bonum commutabile est vltimus finis peccatoris: ergo per privationem iustitiæ originalis manent conuersa habitualiter ad bonum commutabile, & averta à Deo. Tum denique: nam ratione iustitiæ originalis corpus subijciebatur anima, & reddebatur incorruptibile; & amissa iustitia originali redigitur corruptibile, & non subie-

ctum animæ: item appetitus sensitivus per iustitiam originalem subdebatur rationi; & ea amissa, propendit contra, aut præter rationem: ergo per privationem illius manet homo conuersus ad bonum commutabile, & averta à Deo.

§. VI.

Quarta conclusio deferens opinionem Illustr. Godoy.

130 Dicendum est quartò, ex peccato actuali Adæ non relinquatur aliquem terminum purè morale, quo constituamur realiter conuersi ad creaturam, averti à Deo, & positivè legi difformes, nec in eo consistere peccatum originale, in voluntate non datur. Antecedens probatur: nam habitus conuertens voluntatem ad vltimum finem vt talem debet esse ipsa superior, quia subijcit illam vltimo fini; sed repugnat habitus de genere mali superiori voluntate: ergo in voluntate nequit esse habitus physicus conuertens illam ad bonum commutabile vt ad vltimum finem. Minor probatur: nam habitus de genere mali est determinatio potentie, seu voluntatis ad obiectum inadæquatam potentia; bonum autem commutabile vt vltimus finis est specificativum adæquatam illius subijcens sibi voluntatem secundum omnes suos habitus, & inclinationes: ergo repugnat habitus de genere mali voluntate superiori. Pro qua ratione vide, que diximus tract. 8. disp. 1. à num. 92. Videnda etiam sunt, que in eadem disp. dub. 6. diximus pro declaratione vltimi finis peccatoris: ibi enim constat quoniam sit, & quo pacto voluntas per suam essentiam independenter ab aliquo habitu tendat ad bonum commutabile, seu ad bonum proprium peccatoris vt ad vltimum finem.

131 Dices, malitiam peccati originalis non consistere in ipsa formali interpretatione, que est in alieno intellectu, sed in peccato actuali Adæ tanquam in fundamento ad interpretandum, quòd ex eo resultat terminus intrinsecus, Sic occurrit Godoy n. 86.

132 Dices, malitiam peccati originalis non consistere in ipsa formali interpretatione, que est in alieno intellectu, sed in peccato actuali Adæ tanquam in fundamento ad interpretandum, quòd ex eo resultat terminus intrinsecus, Sic occurrit Godoy n. 86.

133 Dices, malitiam peccati originalis non consistere in ipsa formali interpretatione, que est in alieno intellectu, sed in peccato actuali Adæ tanquam in fundamento ad interpretandum, quòd ex eo resultat terminus intrinsecus, Sic occurrit Godoy n. 86.

rè morali, vt concedit Godoy in eadem disp. num. 86. denominanturque peccatores actualiter in eodem esse morali: ergo non solum moraliter, sed etiam physice denominantur peccatores habitualiter, peccatumque originale est eis quid physicum, physiceque multiplicatur numero in illis. Recolatur omnino, que diximus num. 118. proximè citato. Tum denique etiam ad hominem: Nam contra eisdem Recentiores, asserentes denominationem peccatoris non desumi ab actu Adami tanquam à forma, sed solum vt à fundamento, vt prudens iudicium existimet parvulus intrinsecè maculatos, sic arguit num. 21. Denominatio peccatoris in parvulis non est rationis per intellectum nostrum conficta, sed vera, & realis; sed nihil contra illos concluderet, si talis denominatio esset purè moralis fundata in æstimatione prudentium; & non physica: ergo denominatio peccatoris in parvulis est physica.

Confirmatur, seu potius explicatur hæc ratio: Nam si terminus, in quo consistit peccatum originale, esset purè moralis, non importaret veram realitatem ante operationem intellectus, sed tantum quandam apprehensionem moralem illius, que tantum ponit denominationem extrinsecam provenientem ab actu intellectus apprehentans talem terminum vt parvulus intrinsecè afficientem, quamvis pro fundamento dicat peccatum actuale Adæ, vt insinuat Godoy num. 81. sed hoc non potest sustineri: ergo peccatum originale non consistit in termino purè morali. Minor probatur: nam iuxta Trid. sess. 5. can. 3. peccatum originale intrinsecè reverè & ante omnem operationem intellectus afficit parvulos; sed terminus purè moralis non est intrinsecus ante operationem intellectus apprehentans, & priusquam intelligatur resultare ex peccato Adami, tantum supponit peccatum actuale Adæ, & actum intellectus, quatenus iste præbet denominationem extrinsecam, & illud præbet fundamentum, vt intellectus apprehendat aliquod afficiens intrinsecè parvulos: ergo.

Confirmatur, & explicatur amplius ex ipso Godoy. Nam non minus proprie, & physice sunt, & dicuntur parvuli maculati, quam Deus est, & dicitur offensus per peccatum lethale: quia sicut ipse tom. 1. in 3. part. disp. 1. num. 94. arguit contra NN. Salm. collocantes offensam passivam Dei in quodam termino morali, vel positivo, vel privativo supponente vt fundamentum peccatum actuale, & connotatæ æstimationem prudentium, quòd offensa non est ens rationis, sed verum ens reale physice existens à parte rei ante omnem apprehensionem intellectus; ita macula peccati originalis non est ens rationis, sed verè & realiter talis, physice existens à parte rei ante omnem apprehensionem intellectus, vt docet Concilium; sed quia

offensa est talis apud ipsum, reputat vt inconveniens, quòd consistit in prædicto termino purè morali defensorio à prælaudatis Patribus: ergo ex eodem motivo macula culpæ originalis nequit consistere in termino positivo purè morali.

Confirmatur tertio: Quia existentia, & interpretatio intellectus quantumvis prudens, & moralis non dat formaliter aut effectivè malitiam peccato originali, quia sicut in intellectu & iudicio interpretantis; sed peccatum originale verè & reipsa habet rationem mali culpæ: ergo independenter ab aliena interpretatione est in parvulis peccatum originale.

131 Dices, malitiam peccati originalis non consistere in ipsa formali interpretatione, que est in alieno intellectu, sed in peccato actuali Adæ tanquam in fundamento ad interpretandum, quòd ex eo resultat terminus intrinsecus, Sic occurrit Godoy n. 86.

Secundò. Nam vel est sermo de fundamento, quod nobis præbetur, vt prudenter & sine temeritate iudicemus manere parvulos intrinsecè maculatos: Et ad hoc fatemur sufficere peccatum actuale Adæ vt moraliter nostrum: quia, ipso supposito, prudenter iudicamus resultare ex illo aliquid, quo nos sumus, & dicitur maculati. Caterum, si reipsa talis macula non resultat ante omnem existimationem intellectus, prædictum iudicium, quantumvis prudens, & probabile, erit falsum, tantumquæ deserviet, vt à temeritate excusetur. Vel est sermo de fundamento, quòd reipsa est in parvulis independenter à iudicio alieno, & reddit illos formaliter maculatos. Si dicas primum, est contra Concil. Si dicas secundum, habemus intentum: ergo de primo ad vltimum peccatum originale non consistit in termino purè morali.

132 Nec refert, si inseras: Ergo dum iudicamus, offensam passivam Dei distinctam realiter ab offensa activa recipi intrinsecè in Deo, iudicium erit falsum, tamen si prudens, & probabile sit, visum sanctorum in offensa activa, que reipsa est. ¶ Non inquam, refert. Quia si sermo sit de offensa passiva intrinsecè recepta pro priori ad prudentem æstimationem, sic concedimus consequentiam; aliàs offensa esset aliquid existens intrinsecè in Deo non solum moraliter, sed etiam physice, & Deus mutaretur absolute, seu physice, dum peccamus lethaliter. Si verò sit sermo de offensa prædicta, prout connotat prudentem æstimationem, & pro priori ad iudicium (vt sic dicamus) reflexum; sic negamus consequentiam: quia cum prædicta offensa, licet non existat physice, existit tamen moraliter in ordine ad prudentem æstimationem, & cum id, quod ita existit, non sit purum ens rationis, iudicium reflexum non solum prudentialiter, sed etiam reipsa est verum, &

propterea offensa huiusmodi in ordine ad fundandam obligationem satisfactionis eodem modo se habet, ac si physice existeret. Sicut dum quis eodem indivisibili actu physico intendit, occidere plures homines, non committit physice nisi unicum peccatum, sed moraliter committit plura, & in ordine ad obligationem ad illa confitenda sacramentaliter, & ad penam ita talis actus se habet, ac si essent plures physice: quia per ordinem ad prudentem abstinentiam, ac proinde moraliter, sunt plura.

Si adhuc inferas: Ergo eodem modo *discurrunt* valet de macula peccati originalis, vel personalis habitualis. Respondetur negando consequentiam: quia iuxta Concilium parvuli aliter denominantur habitualiter peccatores, & aliter peccantes actualiter in Adamo; & discrimen aliud non valet assignari nisi infirmatum in toto hoc §. videlicet, quod peccaverunt actualiter pure moraliter, & per ordinem ad prudentem abstinentiam, sed denominantur physice peccatores habitualiter.

133 Secundo probatur ratio deducta à pluribus inconvenientibus, quæ §. præced. probavimus contra Gregorium Martinez. Sequitur enim primò, quod peccatum originale consistens in termino positivo morali inclinaret moraliter ad omne genus peccati, sicut habitus physicus inclinaret physice, vt num. 125. probatum est; sed hoc non potest admitti propter rationem ibi allatam: ergo non datur terminus pure moralis positivus, in quo consistat peccatum originale. ¶ Sequitur secundo, quod prædictus terminus positivus moralis prius ordinaretur ad dandum esse morale, quam ad convertendum radicaliter ad ultimum finem peccatoris, qui est bonum commutabile, sicut de positivo physico num. 127. demonstratum est; sed hoc est falsum, vt recenter probationes ibi allatas facile constabit: ergo idem quod prius.

Sequitur tertio, quod in voluntate recipitur intrinsece alius terminus pure moralis, ratione cuius parvuli essent proxime conversi ad creaturam vt ad ultimum finem, sicut ratione termini animam immediate afficientis, iuxta sententiam Godoy, radicaliter sunt conversi ad eam; sed hoc non valet sustineri, aliàs daretur in voluntate habitus pure moralis de genere mali illa superior, quod non minus repugnat, quam quod datur habitus physicus de genere mali voluntate superior (pro quo vide rationem adductam num. 128.) ergo.

134 Ultimo probatur hæc conclusio ratione, quam adduximus num. 129. quæ si efficaciter militat contra habitum, sive realitatem physicam positivam, efficacius probat contra terminum pure moralem. Nam talis terminus, seu habitus moralis ad hoc datur à Godoy, vt parvuli constituantur habitualiter conversi ad crea-

turam, vt ad ultimum finem, averfi à Deo, inclinatique ad malum, & cum difficultate ad bonum; sed sine prædicto termino, seu habitu morali parvuli constituuntur habitualiter conversi ad creaturam vt ad ultimum finem, averfi à Deo, inclinatique ad malum, & cum difficultate ad bonum, non solum moraliter, sed (quod magis est) etiam physice: ergo prædictus terminus, seu habitus pure moralis, tanquam inutilis, omnino rejiciendus est. Minor probatur: nam per hoc præcisè, quod natura humana amiserit iustitiam originalem, bonum proprium illius est finis eius adæquatus, & ultimus, & consequenter manet averfi à Deo ultimo sine non solum physice, sed etiam moraliter, ad quem ordinabatur ratione illius, & sine illa non potest ad Deum ultimum finem ordinari: vterius caret redemptio adæquato rationis, quod minus præstabat eadem iustitia originalis cum omnibus perfectionibus comitantibus: ergo sine habitu, seu termino morali natura humana manet etiam omnibus illis effectibus non solum moraliter, sed etiam physice. Re-colatur hæc ratio loc. citat.

Si verò respondeas, verum esse, quod per privationem iustitiæ originalis manet natura humana cum prædictis effectibus adhuc physice, sed aliquid aliud addendum est, ratione cuius sint de genere mali moralis: nam privatio iustitiæ originalis non est de genere culpæ, sed præcisè de genere pœnæ.

Si hoc, inquam, respondeas, impugnatur facile: Tum quia semel concessio, quod prædicti effectus sunt physice, & de genere culpæ, necessarîo concedenda est forma physica, à qua physice proveniant. Et propterea consequentiis procedit Gregorius Martinez in admitendo prædictis effectibus habitum seu terminum physicum, quam Godoy in concedendo terminum positivum pure moralem. ¶ Tum etiam. Nam conversio ad bonum proprium peccatoris, vt ad ultimum finem, quæ remanet post peccatum actuale, ex se non est de genere culpæ, vt supponimus ex dictis tract. 8. disp. 1. rub. 6. quia tale bonum, seu talis finis præcinit ab obiecto bono, & malo moraliter. ¶ Tum denique. Nam privatio iustitiæ originalis non caret formalitate, ratione cuius sit de genere culpæ, vt §. sequenti, & 8. videbimus: ergo non manet recursus ad aliquid positivum pure morale.

§. VII.

Quinta conclusio refutans opinionem Curielis.

135 **D**icendum est quintò, peccatum originale non consistere in privatione habitualis conformitatis, quatenus est distincta à privatione iustitiæ originalis, & aliorum

rum donorum habitualium eam comitantium, & quatenus est distincta à privatione rectitudinis actus. Hæc conclusio directe procedit contra Curielem relatum num. 110. putantem, quod sicut in homine peccante lethaliter præter carentiam conformitatis, quæ est in actu peccaminoso, & per quem dicitur homo averfius actualiter à lege, resultat alia carentia conformitatis habitualis, & personalis seu totius subiecti, per quam totus homo est, & dicitur averfius habitualiter à lege, & à legislatore, cui est iniurius; ita ex peccato Adami traducitur in nos similis averfio seu privatio conformitatis habitualis, & personalis ad eandem legem, in eaque consistit essentia peccati originalis. Igitur præfens conclusio procedit contra hanc positionem, estque communis Theologorum.

Et probatur primò ratione. Nam in parvulis non datur talis privatio conformitatis habitualis, prout à Curiele depingitur: ergo in ea non potest consistere peccatum originale. Antecedens probatur: nam in Adamo, transacto actu peccati, non erat illa privatio: ergo nec in parvulis est. Consequentia, iuxta proximè dicta, non potest à Curiele negari: quia à peccato habituali Adami desinit pariter, vt vidimus, ad peccatum originale parvulorum. Antecedens verò probatur: nam in Adamo, & in nobis non erat, aut est conformitas habitualis, & personalis cum lege, distincta à conformitate actuali actus conformis cum lege, & à conformitate habituali, & personali quam conferebat iustitia originalis cum omnibus donis habitualibus, & gratia habitualis cum virtutibus eam concomitantibus: ergo neque, transacto actu peccati, erat in Adamo privatio conformitatis habitualis ad legem distincta à privatione rectitudinis actus. Antecedens est certum: tum quia non est excogitabilis forma, à qua proveniat talis conformitas, vel assignetur à Curiele. Tum quia vel reciperetur immediate in anima: & sic non distingueretur à gratia, quia ordinaretur ad dandum esse supernaturali, iuxta dicta num. 127. & hæc tantum potest esse gratia habitualis. Vel reciperetur in voluntate: & sic non distingueretur à virtutibus, quia de ratione illarum est præfata conformitatem habitalem proximam ad legem. Tum etiam, quia illud non negat Curiel. Consequentia verò probatur: nam privationes multiplicentur, & distinguuntur iuxta multiplicationem, & distinctionem formarum, quarum sunt privationes: ergo si in Adamo non erat, nec in nobis illis est conformitas habitualis, & personalis cum lege distincta à conformitate actuali actuum, & à conformitate habituali iustitiæ originalis, & gratia habitualis, earumque perfectionum habitualium eas consequentium, neque debet admitti privatio conformitatis habitualis ad legem distincta à privatione iustitiæ

originalis, & à privatione rectitudinis actus.

136 Respondebit forsàn, illam conformitatem habitalem non requiri ad hoc, vt detur prædicta privatio habitualis distincta à privatione gratiæ, sed satis esse conformitatem actualem actibus debitam: Respectu cuius duplex privatio potest distingui, alia transiens cum actu peccaminoso; altera permanens: quia, adhuc actu transacto, quando non retractatur, verificatur, quod homo caret habitualiter conformitate actuali, ac proinde quod habet privationem habitalem.

Sed contrà est primò. Nam prædicta privatio habitualis non est pure moralis, sed physica, si in ea consistit peccatum originale, vt constat ex dictis contra Godoy §. præcedenti à num. 130. vsque ad num. 133. Deinde prædicta privatio debet esse distincta realiter à privatione actus, prout hæc perseverat moraliter perseverante moraliter actu, propter dicta §. 4. per tot. contra recentiores Societatis: ergo necessarîo assignanda est forma, seu conformitas physica distincta à conformitate actus, cuius sit privatio. Pareat consequentia: nam sicut repugnat privatio, quin assignetur forma, cuius sit privatio (aliàs cuius erit privatio?) ita repugnat, quod multiplicentur privationes physice non multiplicatis formis, quarum sunt privationes.

Secundò. Privatio formæ supponit debitum habendi formam, per hoc enim distinguitur à negatione; sed, postquam transit actus, non manet debitum ad conformitatem actualem: quia hæc solum debetur actu, quando adest actus, vel adesse debet: ergo transacto actu, & occasione, qua debetur, non est locus privationi conformitatis actualis. ¶ Tertio. Parvulis ex vi pacti solum debita erat iustitia originalis cum alijs perfectionibus habitualibus eam consequentibus: ergo in illis nulla alia privatio est præter privationem iustitiæ originalis. Consequentia ex proximè dictis liquet. Et antecedens probatur: nam sola illa forma erat eis debita, cum Deus promisit Adamo pro suis posteris; sed tantum promisit Adamo pro illis iustitiam originalem cum alijs perfectionibus cum ea connexis: ergo sola iustitia originalis erat eis debita. Tum etiam: Nam si Adamus non peccaret, cum nulla alia perfectione generarentur: ergo idem quod prius. Tum denique: Conformitas debita actibus Adami erat tantum personalis, & illis intrinseca: quia eius posteris ex vi pacti tantum fuerunt moraliter in Adamo tanquam in capite quoad actum adimpletivum, aut transgressivum præcepti determinati: ergo conformitas illa non erat eis debita. Urgetur: Nam quia iustitia originalis debebatur parvulis, vt habenda physice ab illis, & non præcisè vt in Adamo habenda tanquam in capite, prope-

reā privatio illius est physice, & intrinsicē in illis, & non solum extrinsicē seu moraliter, prout erat in Adamo; sed solum tenebantur ad conformandum se legi, prout præcisē erant in Adamo, & quoad unum determinatum actum, & non ut sine in se ipsis, & per proprios actus: ergo privatio talis conformitatis non est physice, & intrinsicē in illis, sed præcisē prout moraliter erant in Adamo.

137 Dies, parvulos habituros fore conformitatem habitualem ad legem, antequam aliquid operarentur, si Adamus non peccasset.

Contrā est. Quia conformitas non est distincta à gratia originali, & à perfectionibus illam consequentibus: ergo nec privatio conformitatis ad legem distincta à privatione iustitiæ originalis in pueris concedenda est. Antecedens probatur: nam præcisā, vel sublata gratia cum ceteris donis habitualibus componentibus iustitiam originalem completivē sumptam, non est illa conformitas habitualis, sicut nec actualis ad legem in anima, aut voluntate, priusquam operentur, sed indifferentia ad talem conformitatem, & difformitatem ei oppositam; aliunde per gratiam, & virtutes infusās sunt habitualiter dispositæ, & preparatæ ad adimpletionem totius legis divinæ: ergo, priusquam homo operetur, vel nulla conformitas habitualis ad legem datur, vel non est distincta à gratia, & virtutibus infusis.

138 Secundo probatur eadem conclusio ratione. Nam, data gratis privatione conformitatis habitualis ad legem distincta à privatione iustitiæ originalis, non est aptior ad peccatum originale constituendum: ergo in ea non consistit. Antecedens probatur primò ad hominem contra Curielem: nam data privatione conformitatis suppositi ad legem oppositæ conformitatis actus, etiam concedenda est iuxta eius sententiam difformitas positiva suppositi cum lege: quia in actu non solum concedit carentiam rectitudinis ipsi actui debita, sed etiam positivam difformitatem cum lege; sed eo ipso peccatum originale non consistit in privatione conformitatis suppositi ad legem, sed in prædicta difformitate positiva suppositi ad legem: ergo, data privatione conformitatis habitualis ad legem, non est apta ad constituendum peccatum originale. Minor probatur à paritate actus: nam quia in actu peccati datur, iuxta Curielem, positiva difformitas cum lege, per illam constituitur peccatum commissiois, ut ipse defendit cum Caetano, & reliquis communiter Authoribus concedentibus in illo malitiam positivam: & merito, nam hæc illam præcedit, & fundat; sed hæc eadem ratio militat in difformitate positiva habituali suppositi cum lege: ergo in illa, & non in difformitate privativa consisteret peccatum originale.

Probatur secundo idem antecedens: Nam semel dato, quod privatio gratiæ originalis secundum aliquam sui formalitatem sit formaliter mala in genere culpæ, hæc esset prior, præcederetque aliam quamvis privationem; sed privatio gratiæ originalis secundum aliquam sui formalitatem est formaliter mala in genere culpæ: ergo aptior esset ad constituendum peccatum originale, quam privatio conformitatis habitualis suppositi cum lege, distincta à privatione iustitiæ originalis. Minor probabitur sequenti. Et maior probatur nunc: nam prima forma, quam Deus vi pacis promisit Adamo pro suis posteris (si iam non fuit vnicæ) eiusque fuit debita, erat iustitia originalis: ergo supposito, quod privatio iustitiæ originalis sit mala in genere culpæ, etiam erit prior, quam privatio conformitatis habitualis cum lege ab ea distincta: ergo illa erit aptior ad constituendum peccatum originale, quam ista.

Probatur tertio idem antecedens: Nam privatio gratiæ seu iustitiæ originalis altiori modo opponitur legi, quam peccata actualia: nam licet non sit immediatè contra aliquod speciale præceptum, est tamen immediatè obiectivè contra finem præceptorum, cum destruat immediatè ordinem radicalem, & proximum habitualem ad ultimum finem, ad cuius conservationem omnes leges dirigitur: ergo aptior est ad constituendum peccatum originale, quam privatio habitualis adinventæ a Curiele.

139 Forsan respondebis cum Curiele, negando positivam difformitatem habitualem transfusam in parvulis ex peccato Adamo. Et iterum negando in privatione gratiæ, seu iustitiæ originalis rationem aliquam, secundum quam sit mala de genere culpæ. Et licet concederetur ea ratio culpæ formaliter, non esset aptior ad constituendum peccatum originale, sicut nec habituale personale, quam privatio conformitatis cum lege: quia hæc aptior est ad constituendam determinatam speciem, quam habet utrumque peccatum, quam privatio illa destruens immediatè ordinem ad ultimum finem, quo pacto opponitur legi generali, inducitque ex difformitate actuali cum lege particulari: ideoque se habet consequenter ad difformitatem tam actualem, quam habitualem cum lege speciali, à cuius oppositione potius, quam ab oppositione mediata legis in communi venanda est ratio specialis peccati originalis, & peccati habitualis personalis.

Sed contra primam evasionem, quæ respondet primæ probationi, arguitur sic: Nam non est, cur ex actu peccati, in quo est difformitas actualis tam positiva, quam privativa, resultet difformitas privativa habitualis, quin resultet difformitas positiva item habitualis: quia sicut actualis privativa petit fundari in positiva actu-

actuali, ita privativa habitualis, sive physica, sive moralis, petit fundari in positiva habituali, sive physica, sive morali. ¶ Contra secundam evasionem stabit id, quod dicemus §. sequenti; ubi probabimus, in privatione gratiæ relucere veram rationem culpæ.

Contra tertiam fiat, quòd difformitas privativa specialis, & habitualis, vel est physica, vel est purè moralis. Si dicas primum: ergo ex ea non resultat privatio gratiæ habens rationem culpæ: quia sicut gratia cum ea conformitate generali cum lege est prima forma in iusto, ita eius privatio erit prima in genere culpæ, ac proinde in ea consistit peccatum originale, & habituale. Si dicas secundum: ergo dicere teneris, quòd peccator habitualiter non est physice maculatus contra Concil. & quòd non fundat privationem gratiæ, prout hæc habet rationem culpæ; quia macula physica non potest fundari in macula pure morali, & se habere ad illam consequenter, sed potius e converso. Nec privatio gratiæ ita opponitur legi generali omnium præceptorum, ut non possit concipi cum diversis formalitatibus, ratione quarum opponatur legi speciali, & constituat specialem malitiam peccati originalis, & cuiuslibet habitualis, constituatque diversitatem specificam peccatorum habitualium: quia non constituit peccatum habituale, nisi cum relatione ad actuale, & prout fundat diversas relationes ad diversa actualia constituit diversa peccata habitualia, ut infra explicabimus.

§. VIII.

Ultima conclusio resolutiva dubij, & explicans mentem D. Thomæ.

140 **D**icendum est sextò, & ultimò, peccatum originale adæquatè, & formaliter constituitur per privationem voluntariam iustitiæ originalis, non ut auferat omnes effectus relatos num. 104. sed præcisè ut tollit effectum eius primarium, & communem ipsi, & gratiæ nostræ habituali, ibi explicatum, qui est sanctificare, & redificare hominem in ordine ad Deum, illumque Deo subijcere. Hæc conclusio & sententia est NN. Salmant. & communis Theologorum, frequenque Thomistarum, ut vidimus num. 110. Estque iuxta Concil. Araus. can. 2. & Trident. sess. 5. can. 2. ubi peccatum originale dicitur *mors animæ*: sed mors animæ est privatio vite animæ: ergo peccatum originale est privatio vite animæ; sed vita animæ, ut in nos transfundenda si Adamus non peccaret, erat iustitia originalis quoad suum effectum constituitur in propria sua significatione; sed per ly *iustitiæ debita* proprius significatur iustitia originalis, quam reditudo debita actui: quia sicut illa principalitè fuit à Deo promissa Adamo pro posteris, ita principalitè erat ei debita: ergo.

65. quòd peccatum originale dicitur *mors animæ* causativè, non formaliter, quatenus expellit gratiam: sicut de omni peccato dicitur à Patribus, quòd est mors animæ; & tamen omne peccatum non est mors animæ, seu privatio vite formaliter, sed tantum causativè. ¶ Non, inquam, refert. Tum quia verba Concilij, defumi debent in sensu formali, dummodò non sequatur aliquid inconueniens; sed non sequitur ex eo, quòd ipsum peccatum originale sit formaliter mors animæ: quia privatio gratiæ est mors animæ, & hæc est de genere culpæ habitualis: ergo est mors animæ formaliter, & non tantum causativè. ¶ Tum etiam licet enim omne peccatum actuale, maxime commissiois, sit mors animæ (loquimur de mortali) tantum causativè, & non formaliter, ut docet Godoy cum omnibus Thomistis, & præcipuè cum illis, qui constituunt peccatum commissiois in positivo; hoc autem de peccato habituali nequit verificari: quia hoc aliter est mors animæ ac peccatum actuale: ergo nec de peccato originali: ergo utrumque est formaliter mors animæ, & consistit in privatione gratiæ.

Est etiam iuxta mentem D. Anselmi lib. de Concept. Virgin. cap. 26. ubi ait: *Hoc quòd peccatum originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus nisi ipsam iustitiæ debitam nuditatem*; sed nuditas debita iustitiæ nihil aliud est, quam privatio iustitiæ originalis: ergo peccatum originale nihil aliud est quam dièta privatio.

Respondet Godoy ibi primò, D. Anselmum explicuisse nobis à posteriori, & per effectum essentiam peccati originalis per prædictam privationem, ¶ Secundo: loqui de peccato originali, non in sensu formali, sed effectivo. Tertio: nuditatem iustitiæ accipi ab eo, non purè privativè, sed contrariè, quatenus forma contraria potest dici nuditas formæ sibi oppositæ, quia non est compatibilis cum ea.

Sed hæc triplex solutio facile refellitur, si verba Anselmi recolantur. Assertit enim, se nihil aliud intelligere posse per peccatum originale nisi nuditatem debitæ iustitiæ; sed si nuditas debita iustitiæ originalis esset peccatum originale à posteriori, effectivè, aut contrariè, peccatum originale in se formaliter aliquid aliud intelligi posset, & deberet: ergo nulla ex dictis solutionibus est ad mentem S. Doctoris.

Respondent alij cum Curiele per ly *iustitiæ debita* intelligi rectitudinem debitam actui. ¶ Contra est. Nam verba Anselmi sumenda sunt in propria sua significatione; sed per ly *iustitiæ debita* proprius significatur iustitia originalis, quam reditudo debita actui: quia sicut illa principalitè fuit à Deo promissa Adamo pro posteris, ita principalitè erat ei debita: ergo.

Est denique iuxta mentem D. Augustini dicentis, quod peccatum originale est carentia originalis iustitiæ, teste D. Thom. quest. 4. de Mal. art. 1. arg. 1. 1.

141 Et probatur primò ex D. Thomam in hac 1. 2. quest. 82. art. 3. vbi ait: Sic ergo privatio originalis iustitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali. Idem tradit quest. 3. de Mal. art. 7. in corp. his verbis: In peccato originali est aliquid formale, scilicet carentia originalis iustitiæ. Idem repetit in quest. 4. art. 2. in corp. Et ad 10. inquit: Defectus, qui constituit actualitè peccatum, est ipsa inordinatio actus, non autem carentia gratiæ, quæ est defectus in subiecto peccati. Sed peccatum originale est peccatum nature: & ideo inordinatio nature per subtractionem originalis iustitiæ facit rationem originalis peccati. Quo quid clarius? Videatur insuper ibidem ad primum, secundum, & quartum argument. quæ proponit ultimo loco, & quomodo in fine totius artic. §. Ad id verò expresse dicit, quòd non est tantum pena prædicta privatio, sed pena, & culpa. Tum etiam ad Roman. 5. lect. 3. vbi explicans, in quo consistat defectus, qui dicitur peccatum originale, ita loquitur: Est autem hic defectus carentia originalis iustitiæ, quæ erat primo homini divinitus collata... vt eam simul cum natura in posteros tradideret: & ideo simili modo amissionem huius originalis iustitiæ per peccatum ad posteros transmittit habentem in eis rationem culpæ. Tum denique: nam quest. 5. de Mal. artic. 2. ait: In peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens: scilicet desertio animæ à iustitiâ originali. Et hinc concludit, quòd ei non debetur pena sensus, sed solum pena damni, scilicet carentia visionis divinæ.

Ex quibus testimonijs sic probatur conclusio. In illo prædicte consistit peccatum originale, quòd est formale in eo, & habet rationem culpæ; sed iuxta D. Thom. privatio iustitiæ originalis est formale in peccato originali, estque mala de genere culpæ: ergo iuxta D. Thomam essentia peccati originalis vnicè consistit in privatione iustitiæ originalis.

Confirmatur hoc: Nam iuxta sensum communem Theologorum, imò & adversariorum, id ipsum asserendum est de privatione iustitiæ originalis circa constitutionem peccati originalis, & circa rationem mali moralis, ac de privatione gratiæ habitualis circa constitutionem peccati lethalis habitualis personalis; sed iuxta D. Thom. peccatum lethale habituale personale consistit in privatione gratiæ habitualis: ergo etiam peccatum originale consistit in privatione iustitiæ originalis. Minor probatur: nam 4. distinct. 18. quest. 1. art. 2. quaestione.

1. in argum. Sed contra sic ait: Ex peccato non remanet positivè aliquid in anima, nisi dispositio, vel habitus quæ consequuntur peccatum ex parte actus... Sed macula non est dispositio ex actu causata, nec habitus. Quod patet ex hoc, quòd dispositio, & habitus possunt sine gratiâ destrui per contrariam consuetudinem... macula autem sine gratiâ non auferitur: ergo macula non ponit aliquid positivè in anima. Et in corp. eiusdem quaestione. primæ explicat privationem, in qua consistit, his verbis: Ipsa macula, quantum in se est, non ponit de essentia sua nisi privationem gratiæ. Idem tradit dist. 14. quest. 2. art. 1. quaestione. 3. ad 2. vbi inquit: Per adventum gratiæ ad essentiam animæ macula, quæ nihil aliud erat quam gratiæ privatio, tollitur. Et missis alijs plurimis testimonijs, idem docet in hac 1. 2. quest. 86. art. 1. ad 3. vbi ait: Macula non est aliquid positivè in anima, nec significat privationem solam; sed significat privationem quandam notoris in ordine ad suam causam, quæ est peccatum. Et art. 2. ad 1. explicat prædictam privationem his verbis: Post actum peccati nihil positivè remanet in anima nisi dispositio, vel habitus: remanet tamen aliquid privativè, scilicet privatio coniunctionis ad divinum lumen. In quibus locis, vt constat legenti, loquitur Angelicus Doct. de macula ex peccato lethali personali relicta: ergo iuxta D. Thomam peccatum habituale lethale personale consistit in privatione gratiæ habitualis.

142 Respondebis cum Godoy num. 86, & 87. & Gregorio Martinez, D. Thomam non sumere illud formale pro constitutivo peccati originalis, sed pro complemento. Sicut de peccato commissionis actuali affirmat, privationem se habere de formali ad illud; & tamen exponitur à nobis, & à Thomistis concedentibus in illo malitiam positivam, non de constitutivo formali absolute, sed de complemento. ¶ Deinde respondebis, D. Thomam non loqui de peccato originali, vt peccatum est, & malum morale, sed prout est malum simpliciter.

Sed adversus istas expositiones obstat primo, quòd D. Thomas ita assignat privationem iustitiæ originalis pro constitutivo peccati originalis, vt neque hic, vbi expressè examinat eius essentiam, neque alibi meminit alterius formalitatis; cuius oppositum contingit in peccato actuali commissionis: ergo quia sentit esse formale constitutivum illius. ¶ Secundo: D. Thomas prædictis locis explicat totum id, quòd concurrat ad constitutionem peccati originalis, per privationem tanquam per formale, & per alia tanquam per materiale: sed id quòd vnicè appellat materiale, nequit esse constitutivum formale peccati originalis; esse enim conceptuentia, quæ non est, neque potest esse formale.

Eadem conclusio rationibus illustrata.

le peccati originalis, vt constat ex Trid. sess. 5. can. 5. ergo idem quòd prius. ¶ Tum præterea: D. Thomas in præf. quest. 82. non agit de peccato originali, prout est malum simpliciter, sed secundum suam essentiam, & in ratione mali moralis, & prout in hac ratione convenit cum alijs peccatis, & ab eis differt, vt ex littera patet; aliàs diminue processisset, quòd de tanto Doctore neque cogitari debet: ergo iuxta ipsum constituitur per privationem iustitiæ originalis non solum in ratione mali simpliciter, sed etiam in ratione mali moralis.

Adde primò, quòd D. Thom. in aliquibus locis citatis docet expressis verbis, privationem iustitiæ originalis habere in se rationem culpæ: ergo contra D. Thom. agit, qui ab eo excludit rationem mali moralis. ¶ Adde secundo, quòd in illa quest. 5. de Mal. dicit, quòd in peccato originali est sola aversio consistens in destitutione animæ à iustitiâ originali: ergo si nullo modo exponit illum, qui concedit in peccato originali conversionem positivam habitualem, & in ea collocat suam essentiam. ¶ Adde tertio, quòd prædicti expositores eodem modo loquuntur de peccato originali, ac de habituali personali relicto ex peccato mortali actuali, in quo imitantur D. Thomam; sed nulla ex prædictis expositionibus potest adhiberi testimonijs adductis pro peccato habituali in confirmatione: ergo sicut peccatum habituale personale constituitur formaliter in ratione talis per privationem gratiæ habitualis, attenda littera D. Thomæ; ita iuxta ipsam peccatum originale constitui debet in ratione talis per privationem iustitiæ originalis. Minor probatur: nam dicit imprimis, quòd ex peccato actuali nihil remanet positivè nisi dispositio, vel habitus, & quòd peccatum habituale nequit in illis consistere: deinde dicit, quòd macula secundum essentiam suam non ponit nisi privationem gratiæ: denique ait, quòd macula nihil aliud est quam privatio gratiæ; sed istæ locutiones nequeunt convenienter exponi de macula peccati, sumpta secundum id quòd dicit consequenter, seu completivè; nec de illa prout est in genere mali simpliciter, & non in genere mali moraliter, vt cuilibet consideranti constabit: ergo. ¶ Adde ultimò, quòd Caietanus fidelissimus interpres D. Thomæ, non obstantè quòd agnovit malitiam positivam in peccato commissionis iuxta mentem D. Thomæ: illam negat in peccato originali, & habituali personali: ergo hac est mens

D. Thomæ.



143 Secundo probatur ratione à posteriori, & per inductionem, & insufficientiam aliorum modorum dicendi. Nam imprimis non apparet aliquid positivum, per quòd peccatum originale constituitur: ergo debet constitui per aliquid privativum; sed inter privationes nulla aptior deprehenditur, quam privatio iustitiæ originalis secundum suum effectum primarium, & commune ipsi, & nostræ gratiæ sanctificantis: ergo peccatum originale formaliter & essentialiter consistit in huiusmodi privatione. Antecedens, ex quo legitime intertur prima consequentia, probatur referendo breviter omne positivum, de quo potest dubitari, & impugnavimus §. 3. præcedentibus: Nam imprimis non consistit in reatu proximo ad penam, siue sumatur pro denominatione extrinseca, desumpta à lege divina taxante illam, siue sumatur pro dignitate intrinseca ipsius peccati ad penam, vt late probavimus §. 3. per tot. Deinde non consistit in peccato actuali Adami vt non condonato, & vt à parvulis non retractato; tamen si concipiatur cum habituali, & morali perseverantia in illis, vt probatum manet §. 4. Præterea non consistit in aliquo termino physico, seu habitu inclinante positivè parvulos ad bonum commutabile &c. vt constat ex dictis §. 5. & testimonijs D. Thomæ, quæ adduximus §. 3. præcedenti. Denique non consistit in termino purè morali positivo, vt vidimus §. 6. Sed non apparet aliud positivum, de quo possit dubitari: ergo non consistit in aliquo positivo.

Minor subsumpta etiam suadet: Nam non consistit imprimis in carentia conformitatis ad legem habitualis, si intelligatur distincta à privatione gratiæ habitualis, vt firmatum relinquitur §. 7. contra Curielem. Deinde inter privationes, quæ parvuli contrahunt reipsa per peccatum originale, & enumeravimus num. 105. privatio iustitiæ originalis secundum suum effectum primarium, & commune ipsi, & nostræ gratiæ habituali, est radix aliarum; sicut ipsa iustitiâ originalis secundum suum effectum primarium est radix omnium peritiorum, quæ erant in statu innocentis, & explicatae sunt num. 104. ergo in hac sola privatione consistit essentia peccati originalis.

Explicatur hoc: Peccatum originale debet esse in suo genere persè vnum, sicut iustitiâ originalis est ens persè, & sicut aliud quodcumque peccatum secundum suam essentiam est vnum persè: ergo sicut hoc, & illa constituitur essentialiter per vnam formam, & non per multarum aggregationem, ita peccatum originale: ergo illa

illa privatio, aut quasi forma erit aptior ad illud consequendum, quae est prima, & radicat ceteras, & respectu cuius aliae se habent consequenter; sed huiusmodi est privatio gratiae originalis secundum suum effectum primum: ergo constituit illud.

Explicatur amplius: Nam in illis privationibus, quae adhuc remanent ablato peccato originali, imprimis peccatum originale nequit consistere, sive adaequate, sive inadaequate; alias maneret forma constitutiva illius sine illo, quod est chimara; & similiter aliquid damnationis esset in baptizatis, quod damnat Concilium Trid. sess. 5. can. 5. ut haereticum. Unde ad essentiam peccati originalis nequit pertinere privatio illius perfectionis, quae residebat in corpore, & reddebat illud immortale, & animae subiectum: neque privatio illius modi specialis superadditi habitibus & virtutibus in appetitu sensitivo residens, ratione cuius subieciatur rationi sine rebellionem: neque privatio similis modi superadditi gratiae habituali eiusdem rationis cum nostra, ratione cuius diverso modo informabat animam, & radicebat plures perfectiones, quae a nostra non dimanant: quia praedictae privationes remanent, remissa culpa originali per baptismum. Deinde inter privationes, quae tolluntur; illa remissa, qualis est privatio charitatis, aliarum virtutum infusarum, & donorum, maxime gratiae substantialis, haec est radix aliarum, sicut gratia est radix charitatis &c. ergo in sola privatione gratiae habitualis sumpta secundum sua praedicta specifica, & communia gratiae nostrae, Christi, Adami in statu innocentiae, Angelorum, viatorum, & beatorum consistit peccatum originale.

Nec remanet effugium ad privationem aliquis habitus realiter distincti a gratia habituali, in quo essentiam iustitiae originalis quidam collocant. ¶ Non, inquam, remanet. Tum quia est contra communem sensum Theologorum, Tum quia est contra D. Thomam docentem 1. part. quest. 100. art. 1. ad 2. quod originalis iustitia non poterat esse sine gratia gratum faciente praestante subiectionem supernaturalem mentis ad Deum: & quest. 5. de Malo art. 1. ad 13. quod gratia gratum faciens includitur in ratione iustitiae originalis: & in hac 1. 2. quest. 83. quod prius erat in essentia animae, quam in potentibus. Tum denique: Nam iuxta hoc ultimum testimonium iustitia originalis debet constitui per habitum immediate receptum in anima; sed nullus alius potest recipi praeter gratiam habituaalem, quae confert esse supernaturale, & ad esse naturale animae nullus habitus est necessarius: ergo non datur privatio habitus distincti a gratia, in qua peccatum originale consistit. ¶ Propter haec etiam nequit consistere in privatione virtutum naturalium,

quamvis haec essent debite pueris in vi promissionis iustitiae originalis, iuxta doctrinam non obcuram D. Thomae 1. part. quest. 95. art. 3. & quest. 101. art. 1. ad 3. & quest. 18. de Veritate, art. 7. Maxime: Quia peccatum habituale hominis elevati ad finem supernaturalem, a quo praecipue per illud avertitur, non potest consistere in privatione habitus naturalis.

144 Tertiò probatur ratione a priori: Nam privatio iustitiae originalis habet in parvulis veram rationem peccati; non personalis, ut patet: ergo originalis: ergo in privatione iustitiae originalis essentialiter peccatum originale consistit. Maior, quae sola est difficilis, probatur: nam ad veram rationem peccati duo tantum requiruntur, nempe & quod sit voluntarium perse saltem moraliter, & per modum termini, ut explicavimus num. 99. & quod repugnet rectae rationi, seu legi; sed privatio iustitiae originalis in parvulis habet haec duo: ergo habet quiddam requiritur ad veram rationem peccati. Minor quoad primam partem suadet: nam privatio gratiae (quod idem est quoad praesens de privatione iustitiae originalis secundum suum effectum primum) non solum demeritorie, sed etiam effectivè physice provenit a peccato mortali actuali: nam, ut docet D. Thom. 2. 2. quest. 24. art. 10. in corp. peccatum mortale actuale destruit charitatem non solum demeritorie, sed etiam effectivè, in quo evidenter adscribitur actui peccaminoso circa expulsionem gratiae, & charitatis non solum influxum effectivum morale, sed etiam physicum: ergo privatio gratiae est terminus physicus peccati actualis; sed hoc, & non amplius requiritur, ut sit voluntaria physice, & perse per modum termini: ergo privatio gratiae est perse voluntaria per modum termini physici; atqui peccatum actuale Adami, quatenus fuit nostrum, eandem causalitatem habet circa privationem iustitiae originalis parvulos afficientem, & illud erat eis voluntarium moraliter: ergo privatio iustitiae originalis in parvulis est perse voluntaria moraliter, & per modum termini.

Quoad secundam partem probatur eadem minor: Nam averso voluntaria animae a Deo ultimo sine nequit non repugnare rationi rectae, & legi; sed privatio originalis iustitiae secundum suum effectum primum est averso voluntaria a Deo ultimo sine: ergo repugnat rectae rationi, & legi. Minor est certa, si vera est maior: quia, ut probatum est, est sufficienter voluntaria ad rationem peccati, & aliunde est privatio gratiae habitualis, id est separatio a Deo ultimo sine. Maior vero probatur: nam id, quod formaliter destruit rationem veri ultimi finis, opponitur rectae rationi, & legi, quia praedicta ratio est prima regula in moralibus, & finis omnium praepceptorum, totiusque legis; sed averso voluntaria animae a Deo ultimo sine est huius-

mo-

modi, ut ex se liquet: ergo repugnat rectae rationi, & legi.

Urgetur hoc: Nam averso voluntaria animae a Deo ultimo sine vt talis, est quasi mala & disconveniens ipsi Deo: quia secundum hunc conceptum repugnat bono ipsius Dei destruens conversionem, & subiectionem animae ipsi Deo debitam ratione dignitatis ultimi finis, cui voluntas tenetur se plene subijcere: ergo opponitur rationi rectae, & legi. Patet consequentia: nam peccatum actuale mortale ex hoc capite, praecisus alijs, est obiectivè malum, ac disconveniens Deo, & oppositum rectae rationi, & ex illo, & ex praedicta averseione voluntaria a Deo ultimo sine resultat offensiva passiva gravis Dei: a peccato actuali radicaliter, & effectivè rigoroze; a privatione voluntaria gratiae proximè dimanante.

Hae ratio elucidatur vno, vel altero testimonio D. Thomae. Nam 3. de Potent. art. 6. ad 23. inquit: *Macula in anima non ponit naturam aliquam, sed solum gratiae privationem; tamen cum respectu ad actum peccati praecedentem, qui huius privationis causa fuit, vel esse potuit.* Et infra quest. 86. art. 1. ad 3. ait: *Macula non est aliquid positivè in anima, nec significat privationem solum, sed significat privationem quandam vitiorum (scilicet gratiae) anima in ordine ad suam causam, quae est peccatum, utique actuale.* In quibus testimonijs habentur perspicue illa duo, quae in ratione nostra ponderata sunt, & sufficienti ad veram rationem peccati habitualis. In eis enim habetur primum, quod privatio gratiae est voluntaria per modum termini, quia peccatum actuale absolute dicitur causa illius. Habetur etiam, quod sit opposita rectae rationi, quia dicitur *macula*, seu peccatum habituale.

145 Sed pro huius maiori luce, & vt praecaveatur communis evasio adversariorum, afferentium, quod privatio gratiae habet rationem poenae, vt saepe tradit D. Thom. locis infra referendis: Nota primo, quod licet repugnet quod idem secundum idem sit culpa, & poena, non tamen hoc repugnat secundum diversa. Unde D. Thom. quest. 1. de Mal. art. 4. ad 1. sic concludit: *Et sic idem secundum diversa potest esse culpa, & poena, sed non secundum idem.* Unde cum D. Thom. pluribus in locis expresse dicat, quod privatio gratiae, & iustitia originalis habet rationem poenae: & in alijs pluribus relatis num. 141. affirmet, quod habet rationem culpae, oportet distinguere duos conceptus, itaut secundum vnum sit culpa, & secundum alterum sit poena.

Pro quo nota secundò, quod gratia habitualis potest dupliciter accipi: vel quatenus anima per eam perficitur, sitque formaliter participans naturae divinae, vi cuius Deus trahitur ad ipsam: & sub hac ratione est bona, & conveniens

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

animae rationali. Vel quatenus per eam anima ad Deum radicaliter vertitur, illique subijcitur tanquam ultimo fini: & sub hac consideratione est bona, & quasi conveniens Deo. Haec duas rationes, quae virtualiter distinguuntur propter diversos respectus, possumus explicare alijs terminis, nempe quod secundum primam Deus trahitur ad animam, & anima dicitur possidens Deum: & secundum illam respectus incipit a Deo, & terminatur ad animam tanquam ad subiectum perfectibile: at secundum posteriorem anima trahitur ad Deum, & illique traditur, convertitur, & subijcitur, & Deus se habet, vt possidens animam; & secundum hanc respectus incipit ab anima, & terminatur ad Deum.

Unde in privatione gratiae duplex alius conceptus virtualiter distinctus distinguendus est, vt sic detur debita proportio inter formam, & eius privationem. Hae praedictae privatio potest primò considerari, prout est carentia gratiae, vt perficiens animam, & trahens Deum ad illam; & secundum hunc conceptum est mala, & disconveniens ipsi animae. Secundò potest considerari, prout est carentia gratiae, vt convertentis, & subijcens animam Deo; & secundum istum est quasi mala & disconveniens ipsi Deo, illique obiectivè opponitur, quia destruit conversionem, & subiectionem ipsius animae debitam Deo ratione dignitatis ultimi finis. Et hinc fit, quod talis privatio secundum primum conceptum potest esse, & defectò est a Deo, & potest habere rationem poenae, de cuius ratione est, quod sit a Deo, & sit disconveniens ei, cui applicatur. At secundum posterum conceptum, nec est, nec potest esse a Deo, quia contrariatur illi obiectivè, eique displicet; & secundum hunc conceptum habet rationem culpae. Et propterea D. Thom. in hac 1. 2. quest. 82. art. 3. exprimens hunc posterum conceptum, ait: quod *privatio originalis iustitiae, per quam voluntas subieciatur Deo, est formale in peccato originali.* Idem tradit alibi saepe.

§. X.

Argumentorum enodatio.

146

Arguitur primò cum Scoto. Nam peccatum habituale tam personale, quam originale consistit in reatu ad poenam: ergo non consistit in privatione gratiae. Antecedens probatur primò ex D. Augustino, qui pluribus in locis, praesertim lib. de Nuptijs, & concup. cap. 26. & lib. Contra Iulianum cap. 8. & ferm. 14. de verbis Apost. ait, se nihil aliud invenire in peccato originali nisi reatum. ¶ Secundò: nam ita se habet actus meritorius in ordine ad deputationem ad gloriam, sicut actus

M

ma

malus in ordine ad deputacionem ad penam; sed, transacto actu meritorio, nihil manet nisi deputatio ad gloriam: ergo, transacto actu peccati, nihil aliud manet nisi deputatio passiva Dei ad penam, per quam constituitur peccatum habituale, sive originale, sive personale.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem desumptam ex D. August. dicendum est, loquutum fuisse de reatu radicaliter accepto, qui non distinguitur à privatione gratiæ. Et hoc modo debuit Vazquez S. Doctorem exponere, & non fateri absolute, quod August. collocabat essentiam peccati originalis in reatu sumpto præcisè pro deputacione extrinseca ad penam. Adde: Nam vt docet Div. Thom. in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 2. *Obligatio pœne quodammodo est media inter culpam, & penam: ideo nomen mediè transmittitur ad extremum, vt interdum ipsa culpa, vel pœna, vel reatus dicatur.* ¶ Ad secundam respondetur, negando minorem: quia ex actu meritorio resultat maior gratia intrinseca in esse gratiæ, & ius intrinsecum pure morale ad maius præmium, & postea sequitur deputatio extrinseca ad illud.

Si verò quæras, cur gratia in esse gratiæ augeatur purè moraliter; & peccatum habituale sit quid physicum? Respondetur: quia non est dispositio physica, vt gratia augeatur physicè, ideoque tantum datur locus ad augmentum illius in esse purè morali. At denominatio peccatoris habitualis est denominatio physica iuxta Concil. Trident. quia transacto actu peccati, aut personalis, aut Adami, aliter denominatur peccans actualiter, ac peccator habitualiter. Et hæc est ratio, vt peccatum habituale, seu originale sit quid intrinsecum, & physicum.

147 Arguitur secundò cum recentioribus Societatis. Nam peccatum originale, sicut & personale habituale, nihil aliud est nisi peccatum actuale Adami, vt nostrum, & in nobis habitualiter moraliter perseverans, vsquedum retractetur, & condonetur: ergo non consistit in privatione voluntaria gratiæ. Antecedens probatur primò: nam id est peccatum habituale, sive originale, sive personale, quo præcisè intellecto, & independentè ab omni alio, homo denominatur peccator habitualis: sed præcisè intellecto peccato actuali, vt moraliter perseverante, quatenus non retractatur, neque condonatur, denominatur peccator habitualis: quia illo præcisè, & sic intellecto, est inimicus Dei, & dignus pœna, & odio ipsius: ergo peccatum habituale, sive originale, sive personale, nihil aliud est, quam peccatum actuale, vt habitualiter, & moraliter perseverans, vsquedum retractetur, & condonetur. Secundò: Nam macula peccati venialis nihil aliud est, quam hominem peccasse, & peccatum non esse retractatum, & condonatum;

ergo idem dicendum est de peccato habituali, vel originali, vel personali. Tertiò: Intencio consecrandi physicè præterita, & moraliter habitualiter perseverans, quatenus non retractatur, est sufficiens, vt homo dicatur habitualiter permanere in intencione: ergo. Quarto: In humanis, vt quis dicatur habitualiter offensus, sufficit, quòd transferit offensa activa, & quòd detur carentia satisfactionis, & condonationis: ergo eodem modo discurrendum est de peccato habituali. Quintò, & vltimò: Apost. ad Roman. 7. inquit, quòd per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: Sentit ergo, quòd per peccatum actuale Adæ, vt non retractatum, neque condonatum posteri eius constituuntur peccatores in genere causæ formalis.

Adde: Peccatum habituale non addit supra actuale aliquam malitiam: ergo in actuali modo supradictò consistit peccatum habituale. Antecedens probatur: nam peccato habituali non correspondet pœna diversa ab ea, quæ correspondet peccato actuali: sicut præmium solum correspondet actibus: ergo peccatum habituale non addit specialem malitiam supra actuale.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Quòd nulla probatio convincit. Non prima: Nam iuxta Concil. Trident. citatum num. 116. peccatum originale omnibus inest intrinsecò, estque omnibus parvulis proprium modo longè diverso, ac peccatum actuale. Unde in se habent aliquid physicè, & intrinsecò, per quòd constituuntur digni pœna, & odio Dei, & inimici illius formaliter, & non tantum effectivè: & in presenti tantum est sermò de causa formalis, & physica harum denominationum. Nec secunda: Nam, vt alibi expressè tradimus, ex peccato actuali veniali resultat quedam macula physica habitualis. Nec tertia: Quia ex intencione actuali multoties non relinquuntur aliquis effectus physici, in quo perseveret virtualiter, & habitualiter physicè, & propterea solum potest homo tunc dici intendens habitualiter præcisè moraliter. Sed ex actu peccati Adæ, & consequenter ex peccato actuali personali resultare debet aliquid physicum, per quòd denominemur physicè peccatores, iuxta dicta §. 4. & 5. Unde peccatum habituale, seu originale originatum nequit consistere in peccato actuali vt non retractato, & non condonato. Neque quarta: Nam offensa passiva non est quid physicum in offenso receptum, sed adsummum quid morale afficiens tantum moraliter. Quapropter si denominatio offensa sumatur moraliter, non sumitur ab offensa activa, sed à termino eius morali, licet sumpta physicè proveniat ab offensa activa, simul cum carentia satisfactionis, & condonationis, vel in recto, vel in obliquo. Denominatio verò peccatoris est physica, & intrinseca, ideoque de-

debet provenire non à forma perseverante moraliter præcisè, sed etiam physicè. Nec quintas: Nam Apostolus illis verbis non loquitur de causa formalis, sed effectiva: vt patet ex similitudine obedientiæ Christi, quem adducit; cum certum sit secundum fidem, quòd non constituitur illi formaliter per eius obedientiam, sed tantum effectivè.

Ad additamentum respondetur; distinguendo antecedens: non addit aliquam malitiam metaphysicam, aut physicam, nego antecedens; aliquam malitiam moralem, ratione cuius correspondet pœna diversa, concedo antecedens. Licet enim peccatum habituale importet malitiam physicam distinctam physicè à malitia actus; vtraque tamen non ponit in numero quoad penam, & vtraque pertinet ad idem numero peccatum moraliter: quare eadem pœna eis correspondet, peccato actuali principaliter, & tanquam exercitio formalis peccandi, & peccato habituali minus principaliter, & tanquam termino intrinsecò illius: ad eum modum quo præmium correspondet principaliter actui charitatis, & minus principaliter termino eius intrinsecò, scilicet impulsui, iuxta dicta num. 99. Cum hoc tamen discrimine, quòd, transacto actu charitatis, talis impulsus perit. Et non remanet alius terminus habitualis physicus, sed adsummum maior gratia moraliter, & ius morale ad maius præmium; at, transacto actu peccati, manet terminus physicus habitualis, cui correspondet pœna modo prescripto. Recolatur solutio precedentis argumenti.

148 Arguitur tertio cum Gregorio Martinez. Peccatum originale constituitur per aliquid positivum physicum: ergo non constituitur per vllam privationem. Antecedens probatur primò nonnullis testimonijs D. Thomæ: nam in hac quæstione 82. art. 2. in corp. inquit, quòd est inordinata dispositio, sicut ægritudo corporalis: Unde (concludit) peccatum originale languor nature dicitur. Ad primum, ait, quòd non est privatio pura, sed habitus corruptus. Et ad secundum, comparat peccatum originale cum actuali in eo, quòd sicut hoc est inordinatio actus, illud est inordinatio nature; sed peccatum actuale importat malitiam positivam, & per eam constituitur: ergo iuxta D. Thom. peccatum originale constituitur etiam per malitiam positivam. Secundò: Nam iuxta D. Thom. 1. 2. quæst. 113. art. 1. omnis iustificatio impij est motus, prout distinguitur à simpliciter mutatione, versatur inter terminos positivos: ergo etiam iustificatio parvulorum à peccato originali; atqui terminus à quo est peccatum originale: ergo hoc est aliquid positivum. Hæc probatio habetur apud Godoy num. 75. Quæ magis vrgetur ex quæst. 28. de Verit. art. 6. vbi hoc expressius tradit, vi cuius concludit:

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

Culpa autem aliquid ponit, & non solum absentiam gratiæ.

Tertio: Peccatum originale est eiusdem rationis cum peccato Adæ; sed peccatum Adæ fuit positivum: ergo etiam peccatum originale. Quarto: Per peccatum originale homo non solum est averfus à Deo, sed conversus ad creaturam tanquam ad vltimum finem; sed talis conversio est aliquid positivum physicum: ergo peccatum originale constituitur per aliquid positivum. Maior probatur: quia omnis averfus ponit aliquam conversionem; quia voluntas non avertitur ab vno fine, quin convertatur ad alium, aliàs esset sine inclinatione habituali ad aliquem finem: ergo &c. Hæc probatio adducitur à Godoy num. 72.

Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem ex D. Thom. de promptam, dicendum est, quòd Angelic. Doct. vocat peccatum originale habitum vel ægritudinem non secundum formale illius, quia prout sic est mors animæ, sed secundum id quòd importat de materiali, aut in obliquo. Dicitur tamen habitus, & ægritudo, quia privatio gratiæ habitualiter inhæret, & disponit male naturam, & appetitum, quatenus delinuntur fræno rationis, & tendunt inordinatè ad sua obiecta, in quibus assimilatur habitui. Ad hæc expositionem nos compellunt testimonia D. Thomæ adducta num. 147. quæ pro nostra conclusione clarissima sunt, & quia prædictam expositionem expressè docet ipse Angelic. Doctor in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 3. ad 2. videatur ibi. ¶ Neque comparatio peccati originalis cum actuali adducta à D. Thoma. Ad secundum aliquid convincit. Quia non intendit prædictam comparationem, quantum ad positivum, sed præcisè quoad inordinationem; & præcipue intendit ibi tradere discrimen inter vtrumque peccatum: pro quo docet, quòd inordinatio peccati originalis est habitus modo explicato, secus verò inordinatio actus.

Ad secundam respondetur, D. Thomam imprimis non vocasse iustificationem impij absolute motum, sed cum aliquo addito diminutive, id est secundum rationem motus: ad significandum, non dari omnimodam similitudinem in ea cum motu, sed aliqualem. Datur enim quoad hoc, quòd sicut in motu rigoroso dantur quatuor termini, forma videlicet, quæ generatur, & forma quæ perditur, & earum carentiæ, & propterea est duplex mutatio; ita in iustificatione impij intercedunt alij quatuor termini, nempe esse gratiæ, & non esse gratiæ; esse peccati, & non esse peccati, ita ut transitus fiat per duplicem mutationem. Sed non servatur similitudo quoad hoc, quòd sicut in motu sunt in recto & physicè duo termini positivi rigorose contrarij, ita dantur hoc eodem modo in iustificatione: satis enim est ad intentum D.

Thomæ; quod terminus à quo illius sit large contrarius termino ad quem, & quod inter utrumque cadat aliquod medium, quamvis terminus à quo in recto sit privativus: quia per hoc sufficienter distinguitur iustificatio à simplici mutatione, quæ versatur inter duo extrema pure contradictoria, & omne medium excludentia, in quibus idem omnino sunt negatio vnius, & affirmatio alterius, vt affirmatio lucis, & negatio tenebræ, & converso.

Deinde dicimus, quod terminus à quo iustificationis non est præcisè peccatum originale, seu habituale acceptum præcisive, secundum id quod importat in recto, sed etiam secundum ea quæ essentialiter, sive in obliquo physice, sive in recto moraliter in proprio statu importat. Ideoque Trident. sess. 6. cap. 4. perspicue docet, quod iustificatio est translatio à statu peccati ad statum gratiæ. Ad statum autem peccati duo positiva spectant, quæ sunt actus peccati physice præteritis, sed perseverans moraliter in privatione gratiæ, & abominatione divina, præteritis moraliter, quandiu non retrahatur, quoad expulsiorem gratiæ, & quoad reddendam privationem eius voluntariam, id ipsum quod præstabat, dum existerat; & conversio habitualis ad bonum proprium tanquam ad vltimum finem, quæ licet non sit nisi entitas ipsa, & inclinatio voluntatis connotando privationem gratiæ, & hæc non pereat materialiter in esse entis, perit tamen in esse recti, & in ratione talis quid positivum est, & exercet rationem termini à quo. Quam solutionem expresse tradit. D. Thom. tum quæst. 28. de Verit. art. 6. in favorem sententiæ contrariæ adductus, & in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. quæst. 5. ad 2. in quibus locis expresse meminit termini prioris, qui est peccatum actuale: tum quæst. 24. de Verit. art. 12. vbi meminit termini posterioris. Videtur omnino in eis. Quæ doctrina optime componitur, quod peccatum originale, & habituale consistat in sola privatione gratiæ, & quod iustificatio non sit simplex mutatio, sed motus. ¶ Oportet tamen notare, quod hæc probatio nihil proficit Godoy constitutenti peccatum originale in termino positivo pure morali. Quia in via D. Thom. iustificatio impij non est tantum moraliter motus, sed etiam physice, exigens pro termino à quo, si probatio contra nos vrget, aliquid positivum physicum. Unde iuxta illam consequentijs procedit Gregorius Martínez.

Ad tertiam probationem respondetur, distinguendo maiorem: est eiusdem rationis moraliter loquendo, eo proportionali modo quo actus, qui est causa omissionis peccaminosa, & ipsa omisio sunt moraliter eiusdem rationis, concedo maiorem; metaphysice, subdistinguo maiorem, cum peccato actuali Ad nego maiorem; cum peccato habituali, conce-

do maiorem. Solutio est clara, intellectus terminis distinctionis.

Ad quartam respondetur, negando consequentiam. Nam illa conversio nihil habet deformitatis, secundum id quod de materiali, & in esse entis importat, sed præcisè secundum id, quod de formali importatur, quod est privatio gratiæ.

149 Arguitur quartò cum Godoy: Essentia peccati originalis constituitur per aliquem terminum positivum pure moralem: ergo non per solam privationem gratiæ. Antecedens probatur primò ex D. Thom. in hac 1. 2. quæst. 86. art. 2. ad 3. vbi ait: *Actus peccati facit distantiam à Deo: quam quidem distantiam sequitur defectus nitoris hoc modo, sicut motus localis facit localem distantiam. Unde sicut, cessante motu locali, non tollitur distantia localis, ita nec cessante actu peccati tollitur macula.* Patet consequentia: nam defectus nitoris, seu privatio gratiæ sequitur distantiam factam à peccato actuali, atque in ipsa distantia consistit. *Secundò:* Peccatum commissionis consistit in tendentia positiva ad obiectum legi dissonum: ergo etiam peccatum habituale.

Ad hoc argument. respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam, & præcipuam probationem dicimus, D. Thomam loqui non de distantia causata ab actu peccati in genere causæ efficientis & transitivæ, sed de distantia ab eo causata intransitivæ, & in genere causæ formalis, ad quam sequitur defectus nitoris, in quo consistit macula iuxta eundem D. Thom. ibidem in corp. & ad 1. & art. 1. eiusdem quæst. ¶ Nec paritas motus localis tenet in omnibus: aliàs sicut posito præcisè motu contrariò tollitur motus localis, ita posito præcisè motu contrariò actui peccati tolleretur macula: quod est contra D. Thom. 1. 2. quæst. 113. & eius discipulos docentes, quod absque infusione gratiæ non potest tolli macula ex peccato mortali relicta. Quam solutionem videtur insinuare ipse D. Angelic. in vltimis verbis contra nos adductis: ait enim quod *sicut, cessante motu locali, non tollitur distantia localis; ita nec cessante actu peccati, tollitur macula, id est defectus nitoris.* Ad intentum autem argumentis deberet dicere, *Ita nec cessante actu peccati, tollitur distantia causata ab actu peccati.* Sed non dicit, quia non intendit omnimodam paritatem in vna distantia cum alia. Et si D. Thom. loquitur de distantia causata in genere causæ efficientis, & non formalis; intelligendus est de distantia privativa, aliàs esset sibi contrarius. ¶ Ad secundam satis constat ex dictis num. præced. ad tertiam probationem. & ad quartam. Mitto argumentum Curiellii, quia ad illud satis liquet ex dictis §. 7. per totum.

Argumenta directè opposita resolutione conclusio- nis, eorumque solutio.

150 Argumenta proposita, y enodata §. præced. directè sunt in favorem aliarum opinionum, quamvis indirectè etiam sint contra nostram affirmativam sententiam. Oportet tamen proponere separatim, & solvere ea quæ directè militant contra eam. Quod iam præstatimus.

Arguitur quintò: Privatio gratiæ est pena: ergo nequit esse culpa. Antecedens est D. Thomæ pluribus in locis. Consequentia verò probatur: nam sicut in eadem entitate actus nequit reperiri ratio meriti, & ratio præmij, sed hæc rationes distinguuntur realiter; ita in eadem privatione sine distinctione reali nequeunt reperiri ratio culpæ, & ratio pene: ergo si privatio gratiæ est pena, nequit esse culpa. *Adde:* Quod Div. Thomas 2. dist. 33. quæst. 2. art. 1. ad 2. determinatè dicit, quod *privatio gratiæ non habet rationem culpæ, sed pene.*

Ad hoc Argument. satis constat ex dictis num. 145. & loco ibi citato, vbi vidimus ex D. Thomæ, quod privatio gratiæ verè habet rationem culpæ, & quod secundum diversos conceptus est culpa, & pena. Sed quod præcipue notandum est in hac re, est, quod in omnibus locis, in quibus D. Thomas docet, privationem gratiæ esse penam, dicit etiam esse secundum aliam rationem culpam, vt videre est in omnibus quæ nobis obijciunt adversarij, & fideliter referunt NN. Salmant. in præf. num. 129. & apud illos potest hæc reflexio videri. Sufficit nunc adducere illud ipsum testimonium, quod vt præcipuum in argumento nobis opponit Godoy: nam ille locus ex 2. Sent. truncatus est, cum post verba citata statim addat, *Nisi in quantum ex voluntate est:* quibus verbis plane supponit, privationem gratiæ secundum aliquam rationem effectivè physice procedere à voluntate, & secundum illam non esse penam, sed culpam. Unde, concessio antecedenti; neganda est consequentia, si de privatione absolute loquatur, & secundum diversam rationem.

Ad cuius probationem, desumptam ex paritate actus meritorij, Respondetur concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Pro cuius disparitatis luce distinguendum omnino est inter actus, & privationes elicitas à voluntate perse, & inter actus, & privationes vel imperatas, vel non elicitas perse à voluntate. Illos actus, & privationes dicimus elicitas perse à voluntate, quæ non possunt nisi ab illa causari: illos verò actus dicimus non elicis perse

à voluntate, qui elicuntur ab alia potentia, & secundum suam substantiam possunt existere sine aliquo influxu illius; & quamvis possint ab ea imperari, hoc non petunt perse: Idem intellige de privationibus. Igitur in actibus, seu privationibus primi generis, esse nequeant coadunari ratio culpæ, & ratio pene, bene tamen in actibus, & privationibus secundi generis, vt dicemus disp. sequent. dub. 2. Privatio autem gratiæ est huius posterioris: quia ita est à peccatore, iuxta concessa à Godoy, quod vel secundum se totam (vt si auferatur à dormiente) vel secundum partem est à Deo, & propterea potest habere rationem pene. Sed prout est à voluntate, nequit habere rationem pene, sed culpæ: quia est illi voluntaria; & est contra rationem pene, quod sit voluntaria peccanti; & propter eandem rationem actus elicitus perse à voluntate, & privatio rectitudinis illi actui debite nequeunt habere rationem pene, quia adæquate sunt voluntaria. Idem relucet in actu meritorio elicito à voluntate, quia adæquate est à voluntate; ideoque nequit habere rationem præmij, de cuius ratione est, quod procedat ab agente extrinseco.

151 Sed contra hanc solutionem obijciens cum Godoy: Privatio gratiæ adæquate sumpta est à Deo ergo sub nullo conceptu potest esse culpa. Antecedens probatur primò: nam ab eodem agente provenit esse alicuius effectus, & non esse illius; sed esse gratiæ adæquate est à Deo: ergo etiam non esse illius. *Secundò:* Gratia potest auferri à dormiente, suspendente Deo suum concursum conservativum: in qua hypothesi privatio gratiæ quoad conceptum subiectionis debita Deo etiam esset ab ipso Deo. *Tertio:* Nam ex eadem hypothesi sequitur, quod privatio gratiæ secundum prædictum conceptum non sit obiective mala, adhuc voluntate peccante: ergo est à Deo. Patet consequentia: nam solum ex prædicto capite repugnat aliquid à Deo produci.

Ad hanc obijctionem respondetur, negando antecedens. Ad eius primam probationem dicendum est, quod sicut in actu bono nihil est, quod à Deo non causatur; & tamen non esse illius, quando procedit à voluntate, secundum aliquem sui conceptum non est à Deo causabile, quia prout exprimit deformitatem moralem; ita esse gratiæ secundum omnem sui conceptum à Deo causatur, quin ex hoc inferatur, quod non esse illius, quando procedit à voluntate, si secundum omnem sui rationem à Deo causabile. ¶ Pro cuius luce sciendum est, quod privatio gratiæ, quantum ad subiectionem animæ ad Deum potest asserre se cum debito ad illam subiectionem, vel non asserre. Si asserit, tantum est ab homine, quia tunc habet rationem culpæ. Si non asserit, vt in dormiente; tunc non est ab homine, nec à Deo: non

non ab homine, quia sub nulla ratione est illi voluntaria: nec a Deo, quia tunc non habet rationem privationis moralis, sed negationis; & nuda negatio nullam exigit causam, ut alibi in hoc tract. diximus. Per quod patet ad secundam probationem. Ad tertiam: Respondetur, quod carentia gratiæ quoad conceptum subiectionis animæ ad Deum solum est mala obiectivè, quatenus respicit ut causam sui peccatum actuale: quia sicut hoc est essentialiter aversio actualis, & voluntaria a Deo ultimo fine, & hac ratione est obiectivè malum moraliter: ita carentia gratiæ, prout est terminus intrinsecus peccati, est aversio voluntaria habitualis a Deo, & hac tantum ratione est mala obiectivè. Unde si in aliqua hypothese privatio gratiæ careat respectu ad peccatum actuale, & non sit voluntaria homini, tunc non erit obiectivè mala: & ex hoc capite nulla erit repugnantia ad hoc, ut a Deo causetur.

152 Arguitur sextò: Peccatum originale tollitur per baptismum; sed privatio iustitiæ originalis non tollitur per baptismum: ergo peccatum originale non consistit in privatione iustitiæ originalis. Minor probatur: nam per iustitiæ originalem appetitus sensitivus erat subditus rationi; sed post baptismum non est subditus rationi, sed potius ei resistit, ut experientia patet: ergo privatio iustitiæ originalis non tollitur per baptismum.

Respondetur ex dictis num. 143. quòd iustitia originalis Adamo concessa in statu innocentie non erat habitus distinctus à nostra gratia habituali, ut docet D. Thom. 1. part. quæst. 100. art. 1. ad 2. sed eadem gratia quoad subiectionem supernaturalem rationis ad Deum, in quo effectu essentia utriusque consistit; & consequenter prædicta subiectionis, sicut est effectus primarius gratiæ habitualis nostræ, ita erat effectus primarius iustitiæ originalis. Modus verò informandi specialis, quem ipsa habebat, & ratione cuius dimanabant aliæ perfectiones, quæ modò non dimanant ex defectu prædicti modi, erat accidentalis, & tales perfectiones, quarum una erat totalis subiectionis appetitus rationi, erant secundarij. Ob quam rationem peccatum originale essentialiter consistit in privatione iustitiæ originalis secundum prædictum effectum primarium: & hac tollitur per baptismum media gratia sanctificante. Verum tamen est, quòd privatio subiectionis habitualis appetitus non tollitur, sicut nec aliæ plures: sed non propterea remanet post baptismum aliquid peccati originalis, quamvis ad illud pertineant per modum culpæ: quia in ista gratia iam non sunt voluntariæ, & tantum remanent in ratione negationis.

153 Arguitur ultimò ab inconvenientibus, quæ videntur inferri ex nostra sententia. Sequitur enim primò, quòd peccata numero, & specie

diversa non inducant maculas numero, & specie diversas: quia non est nisi unica privatio gratiæ. ¶ Sequitur secundò, quòd qui committit peccatum gravius, & præstiterit cum minori gratia, inducat minorem maculam, quam qui committit peccatum minus grave, & habebat maiorem gratiam: quia in illo est maior privatio. ¶ Sequitur tertio, quòd si Deus non promississet nobis iustitiam originalem in Adamo, & iste constitutus fuisset Caput nostrum morale, & mortaliter delinqueret, in quo casu (qui non est impossibilis) nos contraheremus peccatum originale, hoc non consisteret in privatione iustitiæ originalis; & consequenter, quòd furtum grave eiusdem rationis in illo casu, & in præsentem causaret peccata habitualia specie diversa. Hæc non possunt admitti: ergo peccatum originale non consistit in privatione gratiæ.

Respondetur, nullum ex his inconvenientibus sequi ex nostra sententia, ut ex solutione illorum constabit. Ad primum enim respondetur cum D. Thom. infra quæst. 86. art. 1. ad 3. his verbis: *Macula . . . significat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, que est peccatum; & ideo diversa peccata diversas maculas inducunt. Et est simile de umbra, que est privatio luminis ex obiecto alicuius corporis; & secundum diversitatem corporum diversificantur umbrae.* Eodem modo respondet, & tortè expressius 2. dist. 32. quæst. 1. art. 1. ad 2. & 4. dist. 18. quæst. 1. art. 2. quæst. dist. 1. ad 2.

Ex qua solutione inferri primò, quòd dentur peccata habitualia specie diversa, quamvis consistant vnicè in recto in privatione gratiæ. ¶ Pro cuius luce sciendum est, quòd licet gratia sit unica forma, fundat tamen per modum radicis eminentis conformitatem ad diversas leges, vt ad legem non occidendi, non furandi &c. fundatque diversas rectitudines actuum pertinentium ad diversas virtutes se excedentes in perfectione essentiali. Unde per peccatum v. g. furti ita expellitur tota gratia in *esse rei*, ut excludatur perse præcisè vt fundans legem non furandi, & rectitudinem actus iustitiæ; & per accidens, & per modum negationis ponatur carentia gratiæ, vt fundans conformitatem ad legem non occidendi, & rectitudinem alterius actus iustitiæ &c. Et sic datur locus, vt per homicidium ponatur carentia gratiæ per modum privationis voluntariæ, secundum quòd fundat conformitatem ad legem non occidendi. Unde patet diversitas, & inæqualitas specifica peccatorum habitualium.

Inferitur secundò, quòd licet peccatum actuale gravius expellat minorem gratiam in *esse entis*, & minus grave expellat maiorem etiam in *esse entis*; non propterea macula ex hoc relicta est maior, quam macula relicta ex illo

illo; sed potius e conversò: quia macula peccati habitualis non consistit in privatione gratiæ sumptæ in *esse entis* præcisè, & minus sumptæ secundum suam intensionem, sed in privatione voluntariæ gratiæ sumptæ secundum suam essentiam, & prout radicat eminenter conformitatem habitualem ad hanc, vel illam legem: Et stare potest, quòd destruat maior in *esse physico*, sed minor voluntariè, & in *esse moris*, hoc est secundum respectum ad maiorem conformitatem cum lege & ratione, & ad maiorem rectitudinem.

Sequitur tertio, quòd etiam dentur peccata habitualia numero tantum diversa. Quod vno ex duobus modis potest explicari: vel dicendo, quòd multiplicatur præcisè in *esse pure morali*, & non in *esse metaphysico*: ad eum profusum modum, quo in eodem actu physico, quo quis intendit occidere duos homines, non dantur duæ malitiæ physice actuales, sed præcisè in *esse morali*, seu in æstimatione prudentium, modo explicato num. 132. Vel dicendo, quòd multiplicatur non solum in *esse pure morali*, sed etiam metaphysicè, quia privatur gratia secundum respectum ad diversas numero conformitates cum eadem lege, & ad diversas numero rectitudines debitas actibus peccaminosis. Nam id ipsum, quod dicent Godoy, & Curiel quoad hanc multiplicatam peccatorum habitualium, sive specificam, sive numericam, facillimè negotio potest adaptari privationi gratiæ modo explicato. Ex quibus omnibus constat ad secundum inconveniens.

154 Ad tertium responderi potest primò, quòd peccatum originale, quod in illo casu contraheret filij Adæ, esset diversæ speciei, ac modò est: Quia in tali casu esset peccatum præcisè contra finem naturalem; modò autem, & quidem nequius, etiam tendit contra finem supernaturalem. Ad modum quo in sententia Thomistarum se conformantium, cum nostra in præsentem, peccatum personale, quod defectò datur, consistit in privatione gratiæ; & tamen; si Deus condidisset hominem in pura natura, & ille tunc mortaliter peccaret (vt posset) contra Deum finem naturalem, peccatum habituale personale inde resultans non consisteret in privatione gratiæ, nec esset contra finem supernaturalem, vt modò est, adhuc in sententia plurium adversariorum, sed consisteret in denominatione extrinseca desumpta ex actu peccati præterito vt non retractato: vel in privatione habituali rectitudinis naturalis rationis: & propterea esset diversæ essentia; ac modò est peccatum nostrum habituale. ¶ Nec obest contra hanc solutionem, quòd peccatum actuale esse tunc eiusdem speciei; & idem specie peccatum non potest causare peccata habitualia specie diversa. ¶ Nam licet peccatum Adæ, ornati tantum pro se iustitia originali, eo ipso esset con-

tra finem supernaturalem directè, & indirectè contra finem naturalem, vel e conversò, & quolibet ex his modis induceret maculam in se directè contra finem supernaturalem, vt modò contingit; illud verò peccatum vt *nostrum* tantum esset contra finem naturalem, vt in pura natura. Et ita illud peccatum actuale vt *nostrum* tunc esset diversæ rationis, ac modò est: nam modò furtum est contra Deum vt finem tantum naturalem, quam supernaturalem; & tunc esset tantum contra Deum vt finem naturalem: & peccata huiusmodi considerata nequeunt non specie distingui. ¶ Nec contra hoc facit, quòd peccatum Adæ tunc non haberet duplicem malitiam, aliam naturalem, & aliam (vt sic dicamus) supernaturalem, sed vnam, vel alteram. ¶ Nam in ordine ad peccatum suum habituale haberet perse determinatè malitiam supernaturalem; & in ordine ad seipsum haberet vnam directè & perse, & alteram transcendentaliter: & ratione naturalis malitiæ, quæ solum haberet locum pro nobis, posset inducere peccatum originale diversum à peccato suo habituali. Nec vllum inconveniens est in eo, quòd peccatum actuale prædicto modo descriptum inducat malitias habituales specie diversas, vt consideranti constabit.

155 Respondetur secundò, quòd peccatum originale in illo casu esset eiusdem speciei, ac modò est. Nam sicut in sententia valde probabili Doctorum, quam nos propugnabimus tract. 14. disp. 1. à num. 101. peccatum habituale personale hominis conditi in pura natura consisteret in privatione gratiæ, atque ideo esset eiusdem rationis cum peccato personali habituali, quod modò est intra eandem materiam; pariformiter peccatum originale in casu proposito esset eiusdem speciei intra eandem materiam cum peccato originali nunc existente. Ratio verò cur in statu nature pure peccatum habituale personale consisteret in privatione gratiæ, non obstante quòd homo non haberet debitum positivum ad aliquod supernaturale, est, quia haberet debitum non apponendi obicem gratiæ, & offenderet Deum vt finem supernaturalem saltem indirectè, modo fuisse explicando loco citato; & propterea incurreret post peccatum actuale debitum convertendi se ad Deum per gratiam, licet in Deo non esset debitum illam confertendi.



§. XII.

Primum corollarium, & cuiusdam quaestio-
culae decisio.

156 **EX** dictis toto hoc dubio inferitur
primò, peccatum originale, no-
strum esse eiusdem speciei cum peccato habituali
Adami. Rationem tradit & optimam Godoy-
nam peccatum originale nostrum, & peccatum
habitualmente Adami causantur ex eodem numero
peccato actuali ipsius; sed ex eodem peccato
actuali nequeunt causari peccata habitualia spe-
cie diversa, sicut nec ex eodem numero actu in
esse moris possunt causari habitus specie distin-
cti: ergo peccatum originale nostrum, & habi-
tuale Adami sunt eiusdem speciei. Hinc liquet,
quòd omnes illæ malitiæ, quæ erant in peccato
tam actuali, quam habituali Adæ, sunt in nostro
peccato originali.

157 Dubitabis tamen, quasnam deforma-
tates habuerit peccatum actuale Adami? ¶ Cui
dubitacioni responderetur primò, habuisse spe-
ciem superbiam atomam, hancque fuisse primam.
Ita NN. Salmant. in præf. disp. 16. dub. 6.
cum pluribus Patribus, & Theologis contra
Scorum 2. dist. 21. quaest. 2. asserentem primam
speciem peccati illius fuisse inordinatum
amorem amicitie, seu benevolentie erga vx-
orem. Nostra vero resolutio colligitur ex Scrip-
tura: nam Eccl. 10. dicitur: *Initium omnis
peccati est superbia.* Et Tob. 4. *In ipsa (idest
superbia) initio sumpsit omnis perditio.* Quæ
verba de primo Adæ peccato, à quo nostrum
originale trahit originem, exponunt D. August.
14. de Civitat. Dei cap. 13. & D. Thom. 2. 2.
quaest. 163. art. 1. & alij Patres. Non minus
colligitur ex ordine tentationis, quo diabolus
primos parentes invasit: nam motivum primum
eis ab illo propositum ad comedendum de ligno
prohibito fuit inordinata sui excellentia, iuxta
illud Genes. 3. *Eratis sicut dii*: Idque non ob-
scure declaravit Deus, dum ironice Adamo dixit:
*Eccce Adam quasi unus ex nobis factus
est sciens bonum, & malum*, increpans eum
expectatæ similitudinis divina; sed hæc est ob-
iectum proprium superbiam specialiter dictæ: ergo
prima species in peccato Adæ reperta fuit
superbia proprie dicta. Videatur D. Thom. ibi.

Et probatur ratione illius fundamentali:
Nam ea est prima species peccati Adæ, cuius
fuit primum obiectum illius; sed primum ob-
iectum illius fuit superbia proprie dictæ; ergo
prima, & essentialis eius species fuit superbia
proprie dicta. Minor probatur: nam obiectum
proprium superbiam specialiter dictæ est propria
excellencia absque debita mensura; sed obiectum
primum, circa quod Adamus deliquit, fuit

huiusmodi: ergo obiectum superbiam fuit pri-
mum illius obiectum. Maior supponitur ex di-
ctis tract. 7. disp. 3. dub. 5. vbi exprofecto ma-
net probata. Minor autem nequit probari, nisi
aliqua prænotando.

Nota ergo primò, primum peccatum Adæ
debuisset tendere persè primò circa aliquem ul-
timum finem. Nam in statu innocentie omnia
in homine erant perfectè coordinata, ita ut
vnuquodque sub suo superiori firmiter conti-
neretur, nempe corpus sub anima, appetitus
sensitivus sub ratione, & ratio inferior sub su-
periori, quandiu ista sub amore Dei conserva-
rentur. Ex quo fiebat, quòd appetitus sensitivus in
nullum obiectum tenderet nisi ex imperio ratio-
nis, nec ratio inferior nisi iussa à superiori; &
hac ratione omnes motus ab ipsa ratione supe-
riori debebant incipere. Unde obiectum primum
debeuit esse illud bonum, ad quod talis ratio se-
cundum se inclinatur. Hoc autem bonum debeuit
esse ultimus finis: tum quia ratio superior se-
cundum se non afficitur ab bona sensibilibus, cum
hoc sit proprium appetitus sensitivi, vel ratio-
nis prout ab eo mota. Tum etiã: nam motus
inordinatus non debeuit incipere à prædicto ap-
petitu: quia in se erat perfectè rectificatus, &
nichil ei prout sic poterat asserere convenientiam,
nisi ratio superior vel sibi conveniens approbare-
t; neque ratio superior sibi aliquid approbat, nisi
quod est iuxta ultimum finem, quem elegerit.
Debeuit ergo eius inordinatus motus incipere ab
ultimo fine, & versari persè primò circa ali-
quod bonum spirituale, in quo excellentia na-
tura rationalis consistit.

Nota secundò, omnia peccata, quæ regu-
lariter versantur circa propriam excellentiam,
supponere peccatum superbiam, vti sunt ambitio,
presumptio, inanis gloria &c. Et ratio est: quia
obiectum superbiam est prius natura, cum sit
propria excellentia secundum se; & obiecta illa-
rum cum restrictione ad particularem materiam.
Unde sicut amor est prior natura, quam deside-
rium, & gaudium, quia ille tendit ad bonum
secundum se, & desiderium, & gaudium non
nisi sub ratione absentis, & presentis; similiter
de superbiam discurrendum est.

Nota tertio, Deum in imponendo præ-
ceptum non edendi de ligno vetito præcipue in-
tendisse specialem dependentiam Adami à se,
itaque esset mensura, sub qua debebat appetere
propriam excellentiam, quam si observaret,
humilior, & subiectionis sub Dei obedientia tene-
retur. Videns tamen, propriam excellentiam
impositione illius præcepti coarctari, appetit
ipsam vel liberam à prædicta subiectione, quod
erat idem ac illam appetere sine debita mensura;
& in hoc consistit peccatum superbiam proprie
dictæ. Hinc ergo probata evadit minor illius
syllogismi, & præcauentur aliquæ obiectio-
nes.

Ref.

158 Responderetur secundò, quòd peccatum
Adæ præter malitiam superbiam habuit speciem
inobedientie, & gulæ, vt colligitur ex illis ver-
bis Genes. 3. *Quia audisti vocem uxoris tue,
& comidisti de ligno, ex quo præceperam tibi,
ne comederes.* In quibus verbis satis exprimitur
deformitas inobedientie, & gulæ. Et licet va-
leant exponi de inobedientia generaliter accepta,
quo pacto transcendit per omne peccatum,
vt docet D. Thom. 2. dist. 22. quaest. 1. art. 1.
ad 3. & 22. quaest. 105. art. 2. ad 3. conve-
nientius accipitur de inobedientia propria, &
speciali; quia sic explicantur in sensu proprio,
à quo non recedendum est, nisi sequatur ali-
quod absurdum: & quia in hoc sensu exponit
D. Thom. 2. 2. quaest. 163. art. 1. ad 1. Colli-
gitur etiã ex D. Gregor. hom. 10. in Evang.
vbi ait: *A regione enim nostra superbiendo,
inobediendo, citium vetitum gustando, disces-
simus.* Hocque expressè docet D. Thom. in
præf. quaest. 82. art. 2. ad 1. vbi redens ratio-
nem, cur peccatum originale, cum sit vnum,
aliquando dicatur pluraliter in Scriptura, ait:
*Quia in peccato primi parentis.... fuerunt plu-
res deformitates, scilicet superbiam, inobedi-
entiam, gula &c.*

Et probatur ratione: Nam Adamus primò
inordinate appetijt excellentiam propriam vt fi-
nem, & motivum primarium: deinde voluit vt
medium ad eam habendam non subijci divino
præcepto de non comedendo: & tandem viola-
vit tale præceptum, & comedit de ligno vetito;
sed actus ille ex primo capite fuit superbiam,
cuius obiectum est propria excellentia sine debita
mensura: ex secundo fuit inobedientiam specia-
lis, quæ in violatione præcepti vt voluit expres-
sè consistit: ex tertio fuit gula, quæ consistit
in appetitu inordinato cibi: ergo peccatum Adæ
præter speciem superbiam habuit deformitatem
inobedientiam specialis, & gulæ.

159 Responderetur tertio, vel non habuisse
aliam speciem malitiæ, vel non excessivè limi-
tes peccati venialis. Et quanyvis huius resolutio-
nis non possit dari ratio efficax, non tamen
deest gravis congruentia, videlicet quòd scrip-
tura, & Patres non agnovissent alias præter tres
enumeratas.

Sed dices cum Scoto, quòd in peccato Adæ
fuit inordinatus amor vxoris amicitie coniuga-
lis, vt colligitur ex D. Aug. lib. 11. de Gen.
ad lit. cap. 42. vbi loquendo de Adamo sic ait:
*Amicabili quadam compulsus benevolentia, qua
plerumque fit, vt offendatur Deus, ne of-
fendatur amicus peccavit.* ¶ Adde: nam pec-
tum Adæ fuit inordinatus amor; non erga se,
cum non cognoverit se primò, sed alia à se,
à quorum cognitione, idest rerum sensibilibus,
devenit in cognitionem sui: ergo fuit inordi-
natus amor erga vxorem; non concupiscentiam,

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

vt supponimus ex dictis: ergo amicitie, seu be-
nevolentie.

Item plures Patres, quos refert Bellarm.
lib. 3. de Amis. gratia cap. 6. afferunt, Ada-
mum perdidisse fidem, alias eam ad posteros
traduceret. Ad quod conducit, quod aliq-
uiam, fuisse scilicet ab Eva seductum, sicut
Eva fuit à serpente, vt docet Apost. 1. ad Ti-
moth. 2.

Tandem in eo fuit inordinatus appetitus
scientie, qui ad curiositatem spectat. Quæ spe-
cies insinuat à D. Thom. in præf. quaest. 82.
art. 2. ad 1. vbi postquam refert tres species
enumeratas, concludit: *Et alia huiusmodi, pla-
ne concedens alias.* Et quaest. 4. de Malo art. 8.
ad 1. concedit speciem furti.

Ad primum responderetur, quòd dum quis
motus amore alicuius frangit Dei præceptum,
amor ille non habet aliam speciem peccati, præ-
ter eam quæ ex violatione præcepti derivatur: vt
si præceptum sit circa charitatem Dei, & amor
inordinatus amici est causa fractionis illius, non
habet aliam speciem malitiæ, præter eam quæ
est contra charitatem Dei. Ex quo palam se-
quitur contra Scorum, primam speciem, quæ
fuit in peccato Adæ, non fuisse aliam specia-
lem distinctam ab enumeratis. Per quod constat
ad testimonium D. Augustini, quòd nulla-
tenus est contra hanc doctrinam. ¶ Ad addi-
tamentum responderetur, Adamum prius se cog-
novisse, quam peccaret: & purificatur cum pec-
cato Evæ.

Ad secundum responderetur, cum comuni
sententia Theologorum, quòd Adamus non
perdidit fidem: ne dicatur, quòd fides aliquan-
do in Ecclesia defuit: aut quòd mansit absque
omni prorsus lumine conducente ad suam con-
versionem; quòd derogat suavi providentiæ
Dei, qui statuit illum ad se reducere. Et si Pa-
tres aliquid in oppositum videantur insinuare,
exponendi sunt de virtute moralis fidelitatis, vel
de fide theologica vt formata, vel de amissio-
ne illius quoad nos, iuxta dicta num. 105. vbi
diximus, Adamum amisisse fidem pro nobis ex
vi peccati, licet non pro se ex speciali indul-
gentia Dei, qua deficiente posset iuste per
Deum expelli sine peccato infidelitatis in pec-
nam sui peccati. Circa id, quòd additur de se-
ductione Evæ, & Adami, aliquid dicemus in
fr.

Ad tertium, & ultimum potest primò re-
ponderi cum D. Thoma 2. dist. 22. quaest. 1.
art. 1. ad 5. quòd primò illo actu, quo Eva
peccavit (quidquid sit de alio posteriori) non
peccavit appetendo scientiam, quæ ad ipsam
non pertinebat, quare primum eius peccatum
non habuit malitiam curiositatis. Et idem di-
cendum est de Adamo. ¶ Vel potest responde-
ri secundò, quòd eam habuit, sed non excede-
re

N

bae